

# ARTIS POETICÆ

COMPENDIUM,

AUCTORE

PATRE JOACHIMO AYLLON, S. J.

HAMBATENSI,

N LINGUA LATINA AB ILLO COMPOSITUM,


ANNO MDCCLV,

ET IN HISPANICAM

AB

ALOISIO CORDERO

TRANSLATUM.



QUITI.

EX GUBERNIT TIPOGRAPHIA

1894

AYLLON.

---

ARTIS POETICÆ

COMPENDIUM.

*Al erudito investigador de las antigüedades ecuatorianas,*

*S. R. D. R. D. PABLO HERRERA,*

*y al distinguido humanista azuayo,*

*S. R. D. R. D. TOMÁS RENDÓN,*

*dedica este curioso opúsculo el traductor y editor de él, en prueba de especial consideración y estima.*

## EL PADRE JOAQUÍN AYLLÓN.

---

*Se sabe que este docto jesuíta nació en la ciudad de Ambato, allá por los años de 1712. Fué estudiante en el Colegio Seminario de San Luis, de la que es hoy capital de nuestra República, y entonces lo era de la Presidencia de Quito. Después de haber terminado sus estudios, con el provecho que de sus distinguidos talentos había de esperarse, ingresó al célebre instituto de la Compañía de Jesús, cuya prosperidad en estas comarcas de América era muy notable. Se distinguió luego por su ciencia, llegando á ser Catedrático de Teología Moral y de Retórica, en la afamada Universidad de San Gregorio Magno, regentada por el mismo instituto. Expelido, con los demás religiosos, en el año de 1767, fué á morir en Italia, á fines del siglo pasado.*

*Escribió un tratado de Teología, que no conocemos. Es de presumir que compuso también uno de Retórica, según se infiere del siguiente pasaje de este opúsculo (pág. 19): "Quid autem sit periodus; quid membrum, seu colon; quid incisum, seu comma, docebit Rethorica, cui post poeticam vacabitis." Pero la única producción*

## VIII

*literaria suya que hasta hoy ha podido descubrirse es el COMPENDIO DEL ARTE POÉTICA, que damos á luz, acompañando el texto latino con una traducción castellana. Si existen las demás obras, deben estar confundidas entre los manuscritos de la Biblioteca de la Compañía de Jesús, ó en poder, quizá, de personas particulares.*



## UNAS POCAS PALABRAS DEL TRADUCTOR.

Empeñado el Sr. Dr. D. Pablo Herrera en salvar del olvido algunas, cuando menos, de las antiguas producciones ecuatorianas, sacándolas á lucir en el tomo tercero de nuestra Antología, ha hecho en las librerías quiteñas un laborioso escrutinio y desenterrado no pocas obras manuscritas de autores nacionales, principalmente religiosos de la Compañía de Jesús, escritas casi todas en idioma latino.

Entre los volúmenes que ha puesto en mis manos, para que, á ratos perdidos y como por distracción de

mis arduas ocupaciones, traduzca algunos trozos, á fin de que se den á luz en dicha Antología, he tenido la buena suerte de recibir una pequeña obrita del Padre Joaquín Ayllón, jesuíta oriundo de Ambato. El título de ella es el del libro que doy á la éstampa, confiando en que será leído con interés, por tratar de una materia que nunca deja de estimular el gusto de las personas que lo tienen fino y cultivado, y por ser una interesante reliquia, dirélo así, de la literatura clásica de aquellos tiempos, en que todavía se estudiaba con afán la hermosa lengua del Lacio y se acataban con veneración los inmortales preceptos del Venusino.

Por la correcta, y hasta galana, redacción del opúsculo que publico, se verá cómo la que hoy es República del Ecuador contaba, en ya lejanas épocas, con ingenios sobresalientes, versados en el estudio de las humanidades, y diestros en la composición, aunque para ésta les fuese preciso va-

lense de una lengua extraña, en cuyo manejo les era indispensable haber adquirido mucha pericia.

No solamente el Padre Ayllón, sino también muchos otros sujetos ilustrados, del clero regular y seglar, y aun del estado civil, se distinguieron, entonces, por su instrucción literaria, algo inficionada, ya se ve, por el culteranismo propio de la época. En el tercer volumen de la citada Antología, que muy pronto saldrá de la prensa, han de darse á conocer numerosos escritores ecuatorianos de la era colonial, cuyos nombres y trabajos habrían quedado, tal vez, en olvido perpetuo, sin la infatigable solicitud del benemérito Sr. Herrera.

El pequeño libro que ofrezco hoy á los literatos de mi patria, y muy especialmente á la juventud estudiosa de ella, contiene muchos de aquellos preceptos literarios que jamás envejecen, como fundados en las leyes invariables de la verdad y la belleza; y, así por esta razón, como por la de



abundar en oportunos y escogidos ejemplos, tomados, en su mayor parte, de eminentes poetas, y dispuestos algunos por el mismo autor, según se deja entrever, lo tengo por muy útil para que los literatos refresquen algunas ideas, y la juventud cuente con un texto más en que poder adquirir las necesarias.

Cierto es que contiene también unas cuantas fruslerías, de aquellas que justamente no son aceptadas ya por el gusto moderno; pero bien pueden disimularse, en atención á lo bien vistas que solían ser en los siglos XVII y XVIII, en que la afectación y el conceptismo realzaban, á los ojos de los lectores, el mérito de una producción literaria.

Importante me ha parecido, pues, la obrita con cuya edición acrecienta el número de las ecuatorianas. Sentiré no haberla traducido con el acierto que debiera, ya por la escasez de mis conocimientos en la lengua y letras latinas, ya por la multitud y diversi-

dad de mis ocupaciones actuales. Habrá, no lo dudo, poca propiedad en la interpretación de algunos pasajes, languidez en la versión de ciertas poesías, y otros defectos, cuya apreciación dejo, sin excusarlos, al criterio de los lectores inteligentes.

Lo único en que he podido reparar es el considerable número de erratas del texto latino. Natural era que las hubiese, tanto por las razones expresadas, como por el poco ejercicio de nuestros tipógrafos en la escritura del latín. He cuidado de anotar las más sustanciales en el lugar correspondiente.

*Quito, Febrero 25 de 1894.*

Luis Cordero.

## PRÆLOQUIUM.

---


Opellam hanc, nuperrimè procudi cæptam, jampridem vobis me tradidisse intererat, charissimi adolescentes mei. Laborem quamquam mihi gravem, quia tamen profectui vestro perquam utilem, stimulabat, cum Præceptoris munus, tum meus erga vos singularis amor, et ardens animæ, quod neminem latere potuit, desiderium, quo, vestros celeriores in humanioribus literis progressus inhians, vehementer effervesco. Nihilominus, illum hactenus subire distuli, non quidem deses, aut oscitans, sed quia singulis ferè mensibus anni proximè convoluti Provinciæ hujusce jureoptimo meliori longè Apollini demandatæ vices emerendi, atque ejurandi, spes ab ineundo opere, non modo manus, sed et ingenium ipsum et cogitationem statim avocabat. Excusandus, propterea, benignè sum, quod emolumento charissimis discipulis exoptato hac parte serius consulerim. At, quamvis sero

poeticas institutiones auspicamur, indefessâ tamen in studendo assiduitate impensius post hac adhibitâ, spero fore ut excellens quo polletis ingenium ad poeticæ facultatis cognitionem, qua fieri possit perfectissimam, brevi vos et facilè perducatur. Faxit ita Deus, votisque meis benignus annuens, vobis, Jesuades perillustres, qui, sacratoris poeseos candidati cœlestis Elysii, virentes perpetuo lauros affectetis, divinius, quam quod profani vates sibi adsciscunt, numen inspiret.

Ulterius nihil est quod ad nobilissimæ facultatis hujusce commendationem et laudem afferam, quò nimirum vestros animos ad eam totis amplectendam præcordis illucere, et ad eandem summo studio colendam intimos sensus excitare, queam; ipsa etenim, per sese, maxima sui commendatio, et laus et encomium est; ipsa omnibus vel primo aspectu amabilis apparet; ipsa, denique, tota decora, atque ex omni parte supra modum pulchra, omnes sanæ mentis homines ad sui prosecutionem allicit, invitat, ac penè adstrictos suavissimis, æquè ac potentissimis, vinculis adducit. Hæc etiam in vestra ad effingendos versus mira propensione expertus didisci, quippe qui, nullis præceptis instituti, non pauca jam, felicissimis auspiciis, carmina profudistis, qui-

bus, et ingenii præstantissimi, et solertis ad modum industriæ specimen pretiosissimum, mihi, delectatione atque gaudio incredibili delibuto, multoties præbuistis. Pergite, felices sacri Jesus Parnassi Musæ; pergite preclaros æmulari vates, eorumque exacta imitatione, vos quoque inter ipsos recenseri contendite. At prius huic, quod vestro commodo, ex corde, utilitati, ex animo, devoveo, exiguo opusculo, sollicitum adhibere studium magnoperè oportebit, quo facilius intentam poetarum laudem et gloriam comparetis.

VALETE.



## CAPUT I.

### DE POETICA IN GENERE.

#### § 1.

#### Quid sit Poetica; quænam ejus materia et finis.

Etsi sapientes quidam, uti Democritus, Plato, Cicero, et alii, tum Philosophi, tum Poetæ, passim, *Poeticam* non tam artem esse, quam incitationem quamdam animi, et emptusiasmum, seu furorem divinitus immissum, qualis est in vaticinantibus, judicaverint; nos tamen, cum Philosophorum principem Aristotele, qui tres libros de Arte Poetica scripsit, et cum aliis etiam quamplurimis, Poeticam artem esse dicimus; tum quia, cum ars nihil aliud sit quam fictio quædam et imitatio naturæ, quæ cunctis artibus semina ministrat, Poesis, vel attenda in græco fonte hujus nominis etymologia, tota ferè in imitatione seu fictione versatur; tum etiam quia *regulas tradit ad opus suum rectè efficiendum*, et hac de causâ aliæ facultates *artes* nuncupantur, quibuscum Poesis in hac ratione convenit, illisque assimilatur. Sed, ut ab aliis differat, et naturam ejus integrè aperiamus, primæ illi questioni *quid sit Poe-*

*tica?* sic respondemus: *est ars, cum verosimili fictione, metricè dicendi.*

Ex hac Poeticæ explicatione constat: 1º, fictionem aliquam necessario ad poemata requiri, adeo ut hoc nomine indigna sint quæ nihil fictionis continent: 2º Constat fictionem á poetica requisitam esse imitationem, vi cujus, mores et studia hominum, vel divorum, eorumque actiones exprimuntur; ea tamen ratione, ut neque historia duntaxat ad metri numeros redacta sit, neque, item, merus fabularum, aut rerum omnino incredibilium contextus videatur; quin potius veritatis spem aliquam ostentet: unde fictio, quæ, cæteroquin, poeseos veluti forma et anima habetur, neutiquam mendatium appellari licet; nam, ut ait Divus Augustinus, non omne quod fingimus mendatium est; sed, quando id fingimus quod nihil significet, tunc mendatium est; cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendatium, sed aliqua figura veritatis. Constat, 3º, hujusmodi fictionem, seu imitationem, ut poema sit, dulci ac certis numeris temperata oratione, concipi debere, vel, quod idem est, versibus. 4º Denique constat in versibus, seu carminibus, dicendum esse, hoc est, graviter, ornatè et copiosè loquendum; id enim ex Rethorica propriè significat verbum *dicere*. Grandis siquidem oportet esse, ut plurimum, poetæ oratio, culta, peregrina, et a vulgari abhorrens, vivida, suavis, pulchra, numerosa, perpolita, insignioribus figuris stellata, ac veluti exquisito ingenii penicillo depicta, ita ut pictura merito appellari possit.

Atqui, si ut pictura poesis esse oportet (cum pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuerit æqua potestas), poeticæ materiam amplissimam esse necessarium est; eandem propè, ac quæ longè, latèque difussa, oratori subest, ut scripsit Tullius. Præcipua, tamen, poetarum materia, circa quam communius versantur, sunt actiones humanæ, quarum effictione, jucunda oratione expressa, vitam nostram intendunt excolere, non sine delectatione, cujus causâ carminibus utuntur.

Hinc poesis, vel potius, poetarum finis, patet, triplex, scilicet, ille quem Flaccus distinctè assignavit, dicens:

*Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ,  
Aut simul et jucuda et idonea dicere vitæ.*

Ecce tres fines, quorum quilibet separatim potest intendi; at postremum reliquis duobus præferemus, ut idem prætulit Horatius, inquiens:

*Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci,  
Lectorem delectando, pariterque monendo.*

Delectatio præstari potest quovis ex tribus poematum modis, quorum primus fit per simplicem et nudam rei narrationem, seu propositionem, in qua poeta solum commemoret, atque omnia, tamquam ex suo ore, proferat. Secundus, per solam imitationem, cum nimirum personæ quædam rem, quasi tunc ageretur, representant, ut in tra-goedis, et comoedis. Tertius, per utramque, ita ut et poeta ipse loquatur, et alios, etiam loquentes,



inducat. Hujus terciæ formæ paradigma frequens est in Aeneide, aliisque epicis, in quibus, proinde, servari debet. Et hoc prædictorum parergon esto.

§ 2.

Quænam sint procedendis carminibus adjumenta.

Præter illud peculiare numen, præter igneam illam vim et sacrum impetum, quo poetæ aiunt se, ad effundendos versus, non tam excitari quam abrui; præter generosum, inquam, ingenium, tum ad vividè concipiendas animo rerum imagines, tum ad ea quæ conceperint minimè vulgari dicendi genere efferenda, egregiè comparatum, quod sanè est præcipuum, et maximum, ad carmina, adjumentum, alia quoque sunt artis auxilia, ut qui venam poeticam non tam fecundam, nec tam præcellens ingenium sortiti sunt, labore et industriâ, illum naturæ defectum supplere valeant, nec se, prorsus inhabiles existimantes, oneri succumbant: 1º, itaque, juvari possunt poeticarum institutionum notitiâ, ab observatione; 2º, eximiorum lectione poetarum; 3º, exercitatione in elucubrandis ac perdiscendis carminibus, ita ut nulla dies sine linea prætereat; 4º, severâ limâ in carminibus iterum iterumque perpoliendis, juxta illud Flacci:

*Carmen reprehendite quod non  
Multa dies et multa litura coercuit, atque.  
Perfectum decies, non castigavit ad unguem.*

5<sup>o</sup> omnium ferè disciplinarum mediocri saltem peritiâ; 6<sup>o</sup> imitatione, ea, videlicet, qua præstantis alicujus poetæ similes esse enitimur in nostris versibus. Hæc, totidem ferè verbis, tradit noster Antonius Forti, in suo Artis Poeticæ Compendio. Sed nos eadem paulo fusius repetamus.

Et, ab imitatione incipientes, qualis oporteat esse discamus ab incomparabili Philosopho Seneca. Apes imitari præcipit, quales videmus volitare per florea rura, et succos, ad mellificandum, idoneos quærere. “Nos, similiter, quæ ex diversâ multorum, seu multâ unius lectione, conguessimus, separare debemus: deinde, adhibita ingenii curâ et facultate, in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut, etiamsi apparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appareat. Quod in corpore nostro videmus, sine ulla opera nostra, facere naturam: alimenta, quæ accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant, et solida innatant, stomacho oneri sunt; at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et in sanguinem transeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia præstemus, ut quæcumque hausimus non patiamur integra esse, ne aliena sint; sed concoquamus illa.” Aurea sanè, pulcherrima, atque sapientissima verba, quibus nihil fingi potest aptius, nihil ad rem propositam ob oculos ponendam, ac altè animo infigendam, proferri oportunius.

Et vero hujusmodi imitandi ratione, talis tantique evaserunt authores illi, quos maximè veneramus. Virgilium, qui poetarum princeps nuncupatur, non naturâ ipsius, ut docti judicant, sed

imitationis industriâ, supra cæteros evexit; Homeri namque opera, prius assiduo pervoluta studio, animo perfecte comprehenderat, quibus intimè imbutus, ad Iliados præsertim et Odiseos normam, Aeneidem suam proprissimam effecit. Non secus poetarum ingeniosissimus Ovidius, in suo mirabili Metamorphosis opere, aliisque, poetas græcos æmulatus est, ut indicabunt vel Farnabi marginales notæ. Multa avunculi sui Senecæ, multa Comentariorum belli civilis, Virgiliti non pauca, et aliorum, expresit preclarissimus Lucanus. Sed, ne in aliis, tunc veteribus, quam neotericis, recensendis diutius immoremur, unum vobis excellentissimum, Sydronium Oschium, velut perpetuæ imitationis exemplar nobilissimum, propono. Illius postquam piissimos, æquè ac limatissimos, libellos non semel integrè perlegi, cum Ovidianis conferens, horum, velut apem solertissimam, puriorem expresisse succum reperi, ut ex eo nectarea sua mella conficeret. Sydronium, itaque, et alios illi similis imitatores, in imitando imitemur. Cavendum, tamen, ne, dum plus justo imitari incumbimus, Vénusini versibus reprehendamur:

*O imitatores, servum pecus! ut mihi sæpè  
Bilem, sæpè jocum vestri movere tumultos!*

quibus eos carpit qui, ab illo quem statuerunt imitari, ne latum audent pedem discedere.

Quod si, objurgandus aliàs, aliàs irridendus, objicitur servilis imitator, ut nos sine contemptu legamur, omnes labor eò impendendus est ut

scripta opera nostra, non transcripta, seu translata, sed nostra esse, etiam doctos non lateat. Hoc autem assequi minimè poterimus, si, præter illa, quæ exempla imitationi proposita ministrantur, nulla alia possidemus. Quare omnium ferè disciplinarum peritiâ imitatori opus est, aut saltem illius cujus aliquod argumentum versat. Si quid materiei de qua agit ignorat, adeat libros qui eam pertractant; eruditos consulat, omniaque prius sedulâ indagine exquirat, ne turpiter erret, cum jam scribat. Præcipuè vero addiscenda sunt ea, quæ poetarum propria judicantur: fabulæ, scilicet, et fictiones, et nomina deorum, musarum, hominum, nympharum, urbium, montium, fluminum, et aliorum quæ frequentius in poetis occurrunt. Hæc ubertim dabunt, præter alios, Naso, in Metamorphosis volumine, quem, expurgatum nonnullis inhonestis fabulis, licet adamarè. Etiam atque etiam legeres Ravisii Textoris Officinam; sive Theatrum historicum et Poeticum P. Balthasaris de Victoria; Theatrum Deorum; Moyam, in Philosophia secreta; libellum quemdam Historiæ Poeticæ Musarum; Thesaura, Parnassum et alia quamplurima, cum Dictionariis.

Quartum, vel, a sexto retro enumerando, tertium, venæ poeticæ adjumentum erat severa lima, &<sup>a</sup>; sed illa postea commodius agetur. Quod sequitur, de exercitatione, duas continet partes: altera est exercitatio in elucubrandis carminibus, quæ etiam postmodum proprium occupabit locum: altera est exercitatio in carminibus memoriæ commitendis, circa quam monitos vos esse velim: 1º, ea præ cæteris addiscenda, quæ

innocua et illibata fuerint; 2<sup>o</sup> quæ magis ab eruditis probata; 3<sup>o</sup> non adeo plurima ac permixta; ut carminum helluones potius quam sobrii studiosi videamini: abdomen illud intolerabilem confutionis, onus ingenii, nunquam diggerendum trajiciet, præterquam quod brevi memoriâ dilabentur; nam *omne supervacuum pleno de pectore manat*. Quare seligenda erunt ethica, sententiosa, sacra, elegantiora, harmonica, pulchra, sublimia, ingeniosa, demum ea quæ omne ferant punctum, quia miscent utile dulci. Ita certè nanciscemini, ut et aures metri tinnitui assuefactas habeatis, et internum sensum, quasi contentibus delibutum, ad numerorum concinnitatem adaptetis. Descriptiones, potissimum, similitudines, comparationes, sententias, et similia, ubicumque reperiatis, memoriâ comendate, et, ne ab illa excidant, carthis transcripta conservate.

Hæc profectò jugem poetarum lectionem exigunt: non inficior. ¿ Quid, vero, hac occupatione appetibilius? ¿ quid jucundius? Immo vero coerceda vobis ingenita propensio, innata cupiditas inhibenda, ne, qui severioribus facultatibus urgentiorem operam necessario navabitis, diutius quam par est, aut magis liberè, cum disertissimis hisce musis commertia misceatis. At, si cum recto moderamine, quibusdam horis, quæ non sint rigidioribus scholæ pensibus attributæ, poetis interdum vacaveritis, tempus illud, etiam pro majori in rebus scholasticis progressu, latineque loquendi expeditione, optimè collocatum iri, vade me, poteritis tuto computare. Age vero ¿ quinam sint, ex poetis, præcipuè diligendi,

rögatis? Quod ad me attinet, *huc rapiebar et huc, dubio per singula voto*, per tot videlicet, numeris omnibus absoluta, poemata. Multa certè vobis ex animo quærentibus ocurrent; nam plurima sunt. Centum triginta octo poetas antiquiores, qui vel ante Christum Dominum Nostrum, vel post ipsum, diversis tempestatibus, floruerunt, ordine alphabetico recenset, in Prosodia, Henricus Smetius, noster Antonius Forti, in suo *Poetico Milite*, eodem ordine, dinumerat ad centum octoginta tres, Societatis duntaxat nostræ, poetas, præter alios, qui soluto, mixtim, vinctoque stilo, plura ediderunt, ut Mendoza, Gaurini, Pamianus, de Strada, et alii, prope innumeri. Paucis ab hinc annis, post Forti tempora, eluxit, toto jam orbe celebris, P. Jacobus Van, Galliæ decus præclarissimum, quem, si manibus sors felix obtulerit, cordi affigite, illumque poeseos fontem sitibundo ore prelibate, ac toto pectore haurite. Alios quoque indigitabimus Helicones fontes, cum de poematum speciebus redibit sermo. Nunc sit.

### § 3.

De exercitatione, et componendi modo; de vitiiis carminum, et diligentia enmendationis et recognitionis, seu lima.

Cito scribendo, non fit ut bene; bene scribendo fit ut cito scribamus: "Primum hoc constituendum est, ut quam optimè scribamus, celeritatem dabit consuetudo", aiebat Fabius Quintus. Sit, itaque, exercitatio in elucubrandis versibus,

vel alio quovis stilo, 1º vel tarda, dummodo diligens et continua sit. Quæramus optima, nec primo se offerentibus guædamus. Adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis. Delectus enim rerum verborumque habendum est, et pondera singulorum examinanda. Post subeat ratio collocandi, versenturque omnimodo numeri, et, ut id facilius fiat, audite Forti: "1º, inquit, tyrones centonem contexant, quo scilicet plura probati authoris fragmenta, ad aliam sententiam longè diversam explicandam, veluti simul sartiantur". Aut tamquam surculi (addo ego) ex alia in aliam arborem inserantur, qui, tamen, in ea nati, non in eam insiti, videri possint. 2º Aliquid ex probato authore, eodem metro, diversis tamen verbis, exprimant. 3º Iisdem verbis, vario metro, canant. 4º Solutam orationem poetico numero ligent. 5º Ex uno idiomate ad aliud versus invertant.

Nunc de carmina componendi modo.—1º Ad compositionem memores tollite Horatii monitum:

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam  
Viribus, et versate diu quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,  
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.*

Ut non statim argumenta longa, operosa, difficilia captetis; nam

*Non ideo debet pelago se credere, si qua  
Audet in exiguo ludere cymba lacu.*

Ergo quædam pusilla, sed venusta et ingenio-

sa poemata, principio elaborenius, ut humerū vitulo ferendi assueti, bovem aliquando gestare possint. 2<sup>o</sup> Postquam lectum erit argumentum, illud, inquam, quod genio et ingenio magis ablandiatur, mox conquirenda est rerum ac verborum suppellex. Magnæ siquidem temeritatis est, nondum cæsa et convecta materia, aggredi ad ædificandum. 3<sup>o</sup> Tunc maximè relegendi poetæ, præsertim metri illius in quo quis cupit scribere, quo magis auribus sonum temperet, furoremque, seu emptutiasum, aut æstrum excitet, præclara concipiat, retineat elegantiam. 4<sup>o</sup> Tunc, si quando, pacanda mens, omnique solitudine, cura, angore, ac perturbatione liberanda;

*Quia carmina lætum  
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt;  
Carmina proveniunt animo diducta sereno.*

(Ovid.)

Quinto secessus adamandus, nam

*Carmina secessum scribentis et otia quærunt.*

(Ovid.)

Ita, quisque dispositus ingenium acuit, cartham sternit, calamum exerit, orditur meditata carmina exarare; quæ, tametsi temerè fundenda non sunt, si vero secundo vela ferantur zephiro, non erunt carbasa antennis subnectenda, donec orationis cursus felix conficiatur. Expediet, tamen, versus paulisper asservare, dum ille ceset impetus et ardor effervescat, qui, nostra nobis comendans, non sinet vitia videre; nam *Quisque suum*





*probat author opus, ceu fœmina partum, statim ac illum edit.*

Itaque, ad incudem reddens malè forsitam tornatos versus, exagitabis eos, ac si alicujus essent inimici, acerrimè expendes, examinabis diligentissimè. Fies Aristharcus, disquiresque, num in aliquod ex septem vitiis capitalibus ab Horatio, in Arte, descriptis, inciderit; nam

*Peccat si tumidus, durus, puerilis, et audax,  
Si trivialis erit versus, jejunius, hiulcus.*

Super quæ audi Flaccum dicentem:

*Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes;*

*Culpavit duos; incomptos allinet atrum,*

*Transverso calamo, signum; ambitiosa recidet*

*Ornamenta; parum claris lucem dare coget;*

*Arguet ambiguè dictum; mutanda notabit.*

Ut hæc sedulo notentur, opus est judicio, quod ingenii oculus jure merito dicitur. Eximium sanè naturæ donum, et illustre beneficium, quo qui carent, tamquam cæci, innumeris obnoxii periculis, incedunt. Ea propter, alios quoque operum nostrorum judices adhibeamus, ut, si quid nostrum judicium fortè nullum, vel modicum, vel, etiamsi, cæteroquin æquum, aliquo tamen, adversum nosmet, affectu inflexum, a subtili integritate deflectens, delitescat, duobus aliis superinductis oculis patefiat.

Profectò satius ac tutius semper est, in propria causa, alieno quam proprio iudicio fidere. Ergo, si quem Metium emunctæ naris criticum nostri carminis arbitrum constituimus, secundum illius crism, inventionem, dispositionem, orationis varietatem, locutiones, quamque aptè omnia, quam propriè dicantur, perquiramus. Versus inertes, seu nullo artificio factos, aut otiosos, recidamus; emmendemus asperos, seu duros; incomptos, seu nullis penitus, neque verborum, neque sententiarum luminibus conspicuos, immo verbis incultis, inquinatis, sordidis, refertos, transversò calamo, deleamus; comprimamus turgidos; nimis luxuriantes, nimium pictos et floridos, circuncidamus; illustremus obscuros, ne quærat Oedipus. Quæ minus placeant, quamvis in vita recedant, expurgemus; denique, parum apta aptioribus, inutilia utilibus, levia gravibus, impropria propriis, stolidia sapientibus, commutemus.

§ 4.

Quæ sint observanda in orationis poeticæ verbis, pedibus, epithetis et membris.

Primo, verba debent esse ad sonum exquisita, illustria, maximè poetarum propria; habent, enim, poetæ peculiare dicendi formulas, ab oratoribus diversas. Verba illustria dicuntur verba translata, seu quibus inest metaphora, quâ tamen non temerè ubicumque utendum. Secundo, verba debent esse rebus ipsis accommodata; quædam, enim, suapte naturâ sunt aliis consonantiora, grandiora, le-

viora et quodam modo nitidiora. Consonantiora, ut *Regnatorem Asiæ* pro *Regem*; *Ductores Danaum*, pro *Duces*. Grandiora, ut “*Talia flammato secum, Dea corde volutans,*” pro *incenso*, pro *volvens*. Leviora, litteris suavibus, et syllabis leniter inter se conmixtis, constant, resque ad aspectum jucundas significant, ut sunt *horti, viridaria, flores, aurum*. Aspera, autem, litteris asperè concurrentibus constant, resque declarant ad aspectum injucundas, ut sunt *ferrum, arma, bellum, verbera, vulnera, catenæ, mors* et alia terribilia. Mirus est Virgilius in litteris rebus accommodandis, ut animadvertentibus patebit: quid erit in verbis? Exempli gratia, *Elysium* significaturus, leviora aucupatus est, sic:

*Devenere locos lætos, et amæna vireta  
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.  
Largior hic campos æther et lumine vestit  
Purpureo, solemque suum sua sydera norunt.*

(6 Æneid.)

Eodem item libro asperiora, quoniam res ita postulat, sic:

*Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis  
Tartareus Phlegeton, torquetque sonantia saxa.  
Hinc exaudire gemitus, et sæva sonare  
Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.*

Sed uti adhibenda sunt, de quibus diximus, verba, ita sunt vitanda turpia et obscena, sordida et humiliora quam ut rei dignitatem expriment. Item græca, nisi a poetis maximè probatis

usurpata sint, Demum prisca et antiquata reji-  
ciantur.

Ad epitheta accedimus, et vellem omnia quæ  
circa illa prescribenda sunt captum vestrum in-  
timè penetrarent, quo, tam in solutæ, quam ligatæ  
orationis compositione, ad unguem observentur.

Epithetis, quæ a Cicerone *appositæ* apellan-  
tur, magna inest vis et pulchritudo, si aptè col-  
locentur. Hæc ita desiderantur in versu, ut abs-  
que illis nudus sit et velut incomptus. Crebra  
epitheta intexi debent, non tamen otiosa, sed  
quæ aliquid addant, et ex intima ratione atque  
ipsius rei naturâ ducantur; quare epithetum, aut  
distinguat ambigua, ut *Deus bellipotens, æquor  
Tirrenum*; aut augeat quod per se non exigit tan-  
tum esse, ut *templum immane, vivida bello dex-  
tra*, aut æquet, ut *lupus ululans*, quod ejus est  
proprium, aut significet qualitatem, ut *collis apri-  
cus, mella fragrantia, exiguus mus*.

Pulcherrimè, autem, epitheta ducuntur ex me-  
thaphora, ut docet Aristoteles, et ex cæteris tro-  
pis: ex methaphora, ut *aurora rosea, ver purpu-  
reum*; ex synecdoche, ut *pocula acheloia, hibleæ  
apes*; ex methonimia, ut *mæstus timor, pallida  
mors*; ex hyperbole, ut *nivei equi, vox ferrea*, et  
sic de cæteris.

Accipiuntur etiam ab affectibus animæ, ut ab  
spe, timore, odio, &<sup>a</sup>. Item a similitudine, ut  
*collum eburneum*; a patria, ut *larisæus Achilles*;  
a gente, ut *Seneca hispanus*; á majoribus, ut  
*Æneas Anchisiades*. Quædam propter aliquod  
ipsarum munus, ut *Diana Trivia, Venus Cythe-  
rea, Delius Apolo*. Alia sumuntur ab iis quibus

consecrata sunt, ut *Phæbea laurus*, *Palladia diva*. Adhibentur, item, alia per indignationem, ut *perjura Troia*; per contemptum, ut *semiviri Phryges*. Sumi, denique, possunt ex adjunctis, ex contrariis, ex causis, ex effectis, ut *cristatus Achilles*, *honor contumeliosus*, *dona cerealia*, *frigida mors*, *tristis senectus*. Sed, cum ex tam multis locis depromi possint, advertendum, tamen, est ne sint absurda, ne nimia, ne supervacanea, et ad explendam necessaria, potius quam ad exornandam sententiam. Præterea, ne uni substantivo plura apponantur adjectiva. Denique, ne ab argumento quod tractatur aliena sint, ut si quis, Dei misericordiam laudans, *præpotentem* appellet Deum, cum *mitissimum* appellare potius deberet; aut illius beneficia commemorans, *sapientissimum* vocet, cum *liberalissimus*, aut *munificentissimus*, aut *beneficentissimus*, dicendus esset.

Illud in universum de epithetis præcipiendum est, ex eo potissimum duci debere, quod est in unaquaque re maximè insigne atque eidem accommodatum.

Circa epithetorum collocationem, dicendum est illa venustè collocari ante ipsum substantivum, et venustius cum inter epithetum et substantivum aliqua verba interponuntur. Interdum, epithetum collocatur principio carminis et nomen cui illud attribuitur in fine; quod si in binis fiat versibus, venustissimum est, ut:

*Fertilis, assiduo si non renovetur aratro,  
Nihil nisi cum spinis gramen habebit ager.*

(Ovid. Trist. lib. 7. eleg. 3.)

Sed longè venustissimum cum epitheta, vicissitudine quadam, intexuntur substantivis, ut:

*Cumque sit hybernis agitatam fluctibus æquor,  
Pectora sunt ipso turbidiora mari*

(Ovid. 7. Trist. eleg 10).

Vel cum, interjectis orationis partibus, a substantivis epitheta separantur, permanente eadem vicissitudine, ut:

*Tela manu miseri jactabant irrita Teuceri.*

(Æneis 2.)

*Terra procul vastis colitur mavortia campis.*

(Æneis 3.)

Quid in pedibus servari debeat brevi aperiam: 1º Ad suaven concinitatem versûs, in plerisque metris, pedes, mutuo complexu, alii ex aliis pendeant, et quadam quasi catenâ coliguntur; quæ forma, ne sacietatem pariat, varianda erit. 2º Pedes etiam, ut verba, rebus accommodentur. Spondei, exempli gratiâ, quia naturâ graves et tardi, præsertim si monosyllabis constant, apti sunt in versu continuati, querelis, lamentationibus, et rebus arduis et gravibus exprimendis, verbi gratiâ:

*Illi inter sese magna vi brachia tollunt.*

(Georg. 4.)

*Vix illud lecti bis sex cervice subirent.*

(Æneis. 12.)

Prior magnitudinem laboris quo Cyclopes in fabrica Vulcani excercentur ad incudem; posterior magnitudinem pondusque saxi a Turno sublatis, exprimunt.

Scitis jam versum spondeum pertinere ad rei alicujus novitatem, difficultatem, gravitatem, dignitatem, aut quempiam animi affectum exprimendum.

*Constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit.*

(Æneis. 2.)

*Margine terrarum prorrexerat Amphitrite.*

(Metam. 1.)

*Huc age cum cythara cum carminibus funestis.*

(Sydronius.)

Pedes dactyli et similes, quia properationem præ se ferunt, et quamdam quasi hilaritatem, in versu adhibentur, continuati, cum aliquid explicandum est, aut festinanter, ut;

*In mare purpureum violentior influit amnis.*

(Georg. 4.)

*Ludere cæruleos aquâ sentit in æquore pisces;*

(Bid. eleg. 1.)

aut jucundè et hilariter, ut:

*Pone metum, Ceytherea: manent inmota tuorum  
fata tibi.*

(Æneis. 2.)

Ast, ubi res non ita postulat, præstantius erit pedes permisceri.

Verum, ad carminis jucunditatem, non solum pedes et dictiones, sed etiam orationis periodus ejusquæ partes mutari et variari debent, ita ut perfecta, absolutaque sententia claudatur, modo in uno versu, modo in sexquialtero; in binis modo, modo binis cum dimidio (si tamen id permitat metrum), interdum tribus aut quatuor.

Aliquando longius excurrit periodus. Nonnumquam nullâ periodo circumscribuntur versus, sed carpuntur membris minutioribus. Quid, autem, sit *periodus*; quid *membrum*, seu *colon*; quid incisum, seu *comma*, docebit Rethorica, cui post poeticam vacabitis.

## § 5.

De verborum et sententiarum figuris, et aliis orationis poeticæ ornamentis.

Cum oratori finitimus sit poeta, teste Cicero-  
ne, ad orationis quoque poeticam exornationem tenenda sunt præcepta quæ tradunt rhetores pro triplice eloquentiæ genere: *exornativo*, scilicet, cui duæ sunt partes, *laus* et *vituperatio*; *deliberativo*, cujus etiam duo, *suasio* et *dissuasio*; *judiciali*, cujus *acusatio* et *defensio*. Tenenda quoque sunt quæ de tropis et figuris adocent; quia sine hujusmodi ornamentis, carmina evadent impolita. Ea omnia, Deo aspirante, postmodum adiscetis. Nonnulla, tamen, quæ poetarum tercio sunt gradu propria, cursim prælibabimus.



Occurrit, imprimis, *repetitio*, seu *iteratio*, quæ in oratione locum habet præcipuè ad asseverandum, vel obtestandum, et similia. Multis fit modis, ut exempla, melius quam verba, ostendent:

*Hoc tenuat dentem terram findentis aratri  
Hoc rigidos silices, hoc adamantæ terit;  
Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras;  
Hoc minuit luctus mæstaque corda levat.*

(Ovid. lib. 4, eleg. 6.)

*Dentibus infrendens: ter totum fervidus irâ,  
Lustrat Aventini montem; ter saxea tentat  
Limina nequicquam; ter fessus valle resedit.*

(8 Æneid.)

*Phebus adest; sonuere lyræ, sonuere pharetræ:  
Signa Deum nosco per sua; Phebus adest.*

(Ovid.)

*Quod cessat phæbea chelys, quod, carmine rupto,  
Aoniæ siluere Deæ, Mars impius egit.  
Quod; spretis audax Musis, petit arma Juventus,  
Et volucres premere audet equos, Mars impius egit.  
Quod cernis mullun deserta per oppida civem,  
Nec campis errare greges, Mars impius egit.  
Quod ligo, quod vomer, quod sarcula, rastra, bi-  
dentes  
In gladios abiere truces, Mars impius egit.*

(Janus Pannous.)

*Mattæ super Priamò rogitans, super Hectore multa.*

(1 Æneid.)

*Victus amore tui, cognato sanguine victus.*  
(12 Æneid.)

*Cogimur humenti renuentia tollere vultu,  
Lumina, et ecce manu vindice Numen adest.  
Numen adest, factoque dios jubet ordine causant  
dicere;*

*Dicere; qui posset dicere neuter erat.*  
(Bid. lib. 3, eleg 3<sup>n</sup>.)

*¿Nec dolor amissi vos hujus tangit Hymetti,  
Quando merum vestros implet inane sinus?  
Implet inane merum. . . . .*  
(Bid.)

Ocurrit, deinde *epanodos*, seu *regressio* cum  
explicationis causâ. Quæ diximus iteramus, ut:

*Demophon, ventis, et verba et vela dedisti:  
Vela queror reditu, verba carere fide.*  
(Ovid.)

Tertio ocurrit *traductio*, quæ repetit idem no-  
men, mutato casu, vel idem verbum, mutatis mo-  
dis et personis:

*Littora littoribus contraria, fluctibus undas,  
Quæ quibus anteferam. . . . .*  
(Virg.)

*Contingam portum; portu terrebor ab ipso.*  
(Ovid.)

*Utque trahunt oculos radiantia lumina solis,  
Traxissent animum sic tua facta meum.*

(Ovid.)

Quarto, ingeniosa figura illa quasi *ploce*, cum idem verbum, sententiave, ad superioris perfectionem retorquetur, ut:

*Sinisi, quæ facie poterit te digna videri  
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.*

(Ovid.)

Quinto *paronomasia*, latinè *annominatio*, quæ ludit vocum similitudine, ut:

*Spernitur hæreticis pietasque, fidesque, Deusque:  
Cur? Quia non aliud vivere quam bibere est.*

Hæc de multis verborum figuris. Inter tot, autem, figuras sententiarum, poetis frequentissima est *hypotiposis*, seu illustris rerum explanatio, quæ res, quasi gerantur, sub aspectu subjicit. Frequentissima quoque est, apud quoslibet poetas, *descriptio*, huicque venustate similis, *prosopeya*, seu personarum picta inductio, qua rebus etiam inanimis sermonem damus, ut patriæ, urbi, &<sup>a</sup>, excitamus etiam mortuos et loquentes inducimus:

*Ingens visa Duci Patriæ trepidantis imago,  
Clara per obscuram vultu moestissima noctem.  
Turrigero canos effundens vertice crines,  
Cæsarie lacerâ nudisque adstare lacertis,*



*Et genitu permixta loqui: ; Quò tenditis ultra?  
Quo fertis mea signa viri? si jure venitis,  
Si cives, hucusque licet. . . . .*

(Pharsal, lib. 1.)

Sermocinationes ad res animæ vel rationis expertes, jucundissimæ esse solent, ut cum Mezentius, apud Virgilium, alloquitur suos equos, et Turnus suam hastam.

Alia, præterea, sunt quibus poetica oratio et variatur et illustratur maximè, ut digressiones opportunæ, similitudines elegantes (quibus excellit, inter alios, Ovidius), illustres atque exquisitæ sententiæ; verbi gratiâ:

*Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus  
Omnibus est vitæ. . . . .*

(Æneid. 10.)

*Si qua, metu dempto, casta est, ea denique casta est  
Quæ, quia non licuit, non facit; illa facit.*

(Ovid.)

*Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit  
Mænia; nec virtus altius ire potest.*

Præclarissimis quoque scatet exundatque sentiis Lucanus.

Denique, poetica oratio affectibus plena esse debet, pro rerum de quibus agitur naturâ et conditione. Affectuum ratio vel ad indignationem, vel ad misericordiam commovendam ferè instituitur. Quæ ad indignationem, initium abruptum

plerumque postulat, et crebris figurarum mutationibus, debet, velut inter æstus iracundiæ, fluctuare. Quæ ad misericordiam, versibus constet lenioribus, quamquam eadem ratio in alios indignationem, misericordiam in alios, commovere so-  
leat. Moventur, autem, affectus ex multis locis, ut a juvena, a senecta, a fortuna, a loco, a causa, a simili, ab exemplo, a parabola, ab imagine, ab dubitatione, et aliis locis unde rhetores argumenta sumunt.

Hæc quæ duobus præcedentibus paragraphis scripsimus sumpta sunt a P. Barth: Bravo.

---

## APPENDIX.

De figuris quæ spectantur in carminum dimensione,  
et de methaplasmo.

*Syllaba de gemina facta una SYNERESIS esto;  
Distrahit in geminam, huic adversa, DIÆRESIS,  
unam.*

*M, ECTHIPSIS; vocalem haurit SYNALEPHA prio-  
rem;*

*ECTASIS extendet; rapit sed SISTOLA vocem.*

*Syneresis, quæ et episyndæphe et syncophonesis appellatur, fit cum duæ vocales, ut ai, au, ca, ec, ci, eo, eu, ia, ie, ii, io, iu, oa, oe, oi, oo, ou, in unam contrahuntur. Harum omnium contractionum exempla, e pœtis deducta, congerit P. Emmanuel Alvarez. Monet, tamen, et autoritate et delectu, in contrahendo, opus esse. Diæresis, sive*

*dialysis* exemplum sit *aulai*. *Synalæphæ* et *ecthlipsis* exempla passim offendetis.

*Systole* exemplum:

*Fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.*

(Ænei. 8.)

*Hæctasis*, sive *diastole*:

*Reppulit a Lybicus immensum syrtibus æquor.*

Et cum non geminatur consonans:

*Italiam fato profugus Lavinæque venit.*

Accedit sex positis figura *crasis*, quæ est duarum pluriumve vocalium, in unam coalescentium, inclusio, sive illæ antehabuerint vim consonantis, aut diptongum vel synæresim effecerint, sive non. Ideoque vim habet producendi sillabam, quia plurium temporum vim in una inclusam continet. Hinc, longa est prima in *biga*, *bobus*, *bucula*, *cotes*, *corus*, *cogo*, *cogito*, *eludo*, *Clodius*, *flarunt*, *fle-runt*, *junior*, *mi*, *morunt*, *malo*, *majus*, *nil*, *ni*, *nonus*, *noris*, *norunt*, *plotius*, *quadriga*, *triga*, &c., in *tibicem* et *obedio*; quia ante crasim erant *bijuga*, *bovibus*, *bovicula*, *cantes*, *caurus*, *coago*, *coagito*, *claudio*, *Claudius*, *flaverunt*, *fleverunt*, *juvenior*, *mihi*, *moverunt*, *navolo*, *nihil*, *nisi*, *novenus*, *naveris*, *noverunt*, *plautius*, *quadrijuga*, *trijuga*, *tibiicem*, *obaudio*.

Accedit etiam *cæsura*, quæ est syllaba ultima dictionis polysillabæ post pedem aliquem sic usurpata, ut, aut per se stet, aut, cum sequentis

ditionis initiali syllabâ, alterum pedem efficiat; cujus tanta vis est, ut syllaba, alioquin brevis, fieri possit longa. Pro afirmanda re, afferuntur a P. Joseph Riciolio ad centum versus. Multiplex fieri potest in versibus cæsura. Si versus post primum pedem habeat cæsuram, dicitur *triemimeris*, latinè *semiterciaria*; si post duos pedes, *penthemimeris*, latinè *semiquinaria*; si post tres, *heplthemimeris*, latinè *semiseptenaria*; si, denique, post quatuor, *enneemimeris*, latinè *seminoveria*. Sed alii nolunt agnoscere nisi *penthemimerim*, et, aliarum loco, addunt sectionem *trochaicam*, cum, scilicet, post duos pedes sequitur trocheus, dictionem terminans, et *buculicam*, seu *tetrapodiam*, cum quartus pes hexametri sic est dactylus, ut eo terminetur dictio.

Accedit, item, *hellenismus*, seu *græcismus*, cum græcanica forma loquendi in latium transfertur, sive in declinationem nominum, ut si dicas *Archados*, *Matheseos*, in genitivo, pro *Archadis*, *Mathesis*, et in acusativo *Platona*, *Cratera*, pro *Platonem*, *craterem*, et in plurali *Archadas*, *Trachas*, pro *Arcades*, *Traces*; aut si dicas *certare duobus*, pro *cum duobus*; *certa mori*, pro *moriendi*; *fidens animi*, pro *animo*; *lucida vultum*, pro *vultu*.

Pro poetarum *methaplasmo*, qui in oratione soluta barbarismus est, accipite sequentia carmina, quibus *methaplasmi* species comprehenduntur, additis exemplis:

*Apponit PROTHESIS caput id, quod APHÆRESIS aufert.*

Ut *gnatus*, pro *natus*; *tetulissem*, pro *tulisse*;—ut *pono*, pro *depono*; *ruo*, pro *eruo*.

APOCOPE *demit finem, quem dat* PARAGOGÉ.

Ut *tuguri, oti*, pro *tugurii, otii*:—ut *deludier*, *admittier*, pro *deludi, admitti*.

SYNCOPA *de medio tollit quod* EPENTHESIS *addit*.

Ut *extinxet, vixet, periculum*, pro *extinxisset, vinxisset, periculum*:—ut *Mavors, navita, induperator*, pro *Mars, nauta, imperator*.

TMESIS *verba secat*; META *sed* THESIS, *ordine verso*,  
*Transfert litterulam*; ANTITHESIS *sano ordine*  
*mutat*.

Ut *quitecumque, hac Trojana tenus, &*, pro  
*quicumque te, hac Trojana*:—ut *tymbre* pro *tymber*; *vafre* pro *vaffer*;—ut *olli* pro *illi*.





## CAPUT II.

### DE QUIBUSDAM POESEOS SPECIEBUS.

Cum plurima sint poematum genera, singula recensere putidum et molestum esset; quapropter aliqua dumtaxat, eaque usitatiores, attingemus. Qui reliqua scire avert, Ravisii Textoris Prosodiam consulant; item Despauteri Versificatoriae Artis libros quinque, necnon P. Joseph Riccioli Prosodiam Bononiesem, in cujus secunda pagella, authorum qui de prosodia metrisve scripserunt, catalogus invenietur. At centum carminum species, metris diversis, ad nauseam, summus, ad satietatem, dabunt. Nos multo paucioribus contenti, eorum cognitioni impensius incumbamus. Sit ergo.

#### § 1.

#### De Epopoeja.

*Epopoeja est Poesis, carmine hexametro, illustres illustrium personarum actiones dicens, ac per narrationem imitans.* In hac epopoejæ quasi definitione, animadvertite: 1<sup>o</sup> epicam poesim heroicam sonare, quia vox græca *epos*, a quâ fluit, ver

sum, sed præcipuè heroicum, significet; 2º ver-  
sum hexametrum, non qualemcumque, sed he-  
roicum, in epico adhiberi, ut materiæ circa quam  
versatur congruat; 3º hanc epici materiam de-  
bere esse egregium aliquod facinus, seu insignem  
aliquam et memorabilem actionem, quam ab his-  
toriographis desumere oportebit tutius, quam ig-  
notam indictamque antea fingere; 4º super  
ejusmodi argumento versibus dicendum; hoc  
est, mira gravitate, majestate, amplitudine, va-  
rietate, ornatu, venustate, sono, concinnitate, nu-  
mero, denique, pondere et mensura, stylum poe-  
matis exornandum; 5º per narrationem acciones  
illas illustres imitandas esse, ut alibi diximus; in  
quo epica pœsis à comœdia et tragoedia differt,  
utrobique, enim, aguntur res (quamobrem etiam  
*dramata* vocatur), non vero exponuntur per na-  
rrationem.

Epopœia tribus constant partibus; *propositio-  
ne, invocatione et narratione*. Propositio est: *su-  
ma rei dicendi, brebiter exposita, ad benevolentiam  
et attentionem conciliandam*; quæ, licet directè  
et apertè fieri possit; melius, tamen, per circui-  
tionem fiet, indirectè et positis pro nomine sig-  
nis, verum tali claritate et artificio, ut facili  
negotio, vel mediocriter doctus argumentum  
capiat.

Admonent nonnulli propositionem primò bre-  
vem esse oportere, ne qui, rei scopum nos-  
cens, ad narrationem festinat, in casum ver-  
bis detineatur; 2º simplicem, temperatam et, ut  
ait Cicero, *verecundam, non elatis intensam ver-  
bis, sed acutam sententiis*, adeo ut, quamquam

poema heroicum ornatissimum esse debeat, quod, tamen, ad ingressum et principium ejus attinet, non æquet reliquum operis contextum, illoque humilior sit, ut vult Horatius; ne fortè illudatur (si cætera exordio non respondeant) versiculo: *Parturient montes; nascetur ridiculus mus.* At, si in aliis præmittenda est brevis argumenti propositio, maximè in poematis quæ brevi concludenda sunt, exempli gratiâ, in carmine quod, a versuum numero, *octava* nominamus, sermone vernaculo. Scitis jam aliquod illi grave argumentum, ad octavum planè lituum aut tubam, propter ipsius majestatem cani meritum, in nostris poeticis certaminibus assignari quatuor, vel, ad summum, sex octavis concinendum. In his, igitur, omnino vobis cavendum est ne, post magnificentum latèque divagatum propositionis hiatum, ac penè tonitrum, in ultima, vel duabus extremis, ægrè prodeat ridiculus mus, argumentum, nempe, vix leviter explicatum.

Cum poetæ nova plerumque, magna semper et admiranda, canant in epopœiis, et ea stet humanis mentibus impressa opinio, ut nihil arduum ac difficile absque superiori auxilio perfici posse credatur, idcirco, re jam propositâ, divinam implorare opem consueverunt: quod etiam in poematis progressu iterare solent, ob aliquam denudò exortam difficultatem vel rei gravitatem et magnitudinem. Sed, cum sermo sit de invocatione in exordio faciendâ, eâ dupliciter fieri potest: vel permixtîm cum propositione, vel seorsim ab illa. Ille græcis, hic latinis vatibus frequentior invocandi modus. In poematis brevi-

bus, aut non multum longis; invocationem, græ-  
cō more, propositione illigatam gratiores pufo.

Pro diversitate argumentorum, a diversis auxi-  
lia eflagitantur, a Musis, nempe, Apolline, &<sup>a</sup>; ve-  
rum enim vero pudet mendacia numina compellare:

*Nam quid adhuc vana strepitu et tentigine vocum  
Mens abductæ Deum numina mille facit?*

*Absit ut hæc animum teneant deliria. Turpis  
Quin valeat potius cum Jove turba suo.*

*Ergo, si quis eris faciles quem cælitus auræ  
Afflarunt, cæli te pius ardor agat.*

*Sint Heliconiades Christus; sit Christus Apollo,  
Inque tua illius tempora laurus eat.*

*Non tibi Pegaseus fons, aut Libethrides undæ;  
Sed Christi extinguat vivida lymphæ sitim.*

*Felices latices, felicia pocula, felix  
Tu quicumque sitim non aliunde levas.*

Si poematis argumentum sacrum sit, ut si di-  
vus aliquis celebratur, ad ipsius gesta canendum;  
apertè ille invocandus erit. Cætera, Deus opti-  
mus, Deipara, superni spiritus, divi, cœlites. At,  
si poema in alicujus mortalis honore fiat, ut si in  
adventum alicujus superioris aut præsulis, ille  
etiam obtestandus erit.

Post imploratam Dei, aut alterius a Deo dis-  
tincti, opem, vates plerumque, historicorum mo-  
re, viam narrari aperiunt per causarum ob quas  
res narranda acciderit expositionem. Adnotate  
in Æneide quinque Junonis iræ causas; in Phar-  
salia belli civilis sex; alias in aliis. Inde, secus ac  
historici, more poetico, narrationem ordiuntur a

postremis, vel a mediis, vel aliquo insigni, historiae, vel fabulae, loco, in quo aliquid plurimum emineat. Earum vero rerum quae postea narrabuntur quasi praesagia dabunt, vel numen, vel caelites, vel etiam monstra et portenta, vel picturae, vel aliae res inanimes, vel divinatores et divinatrices, ut observare licet libro 1<sup>o</sup> Pharsaliae, propè finem, et aliis passim. Et haec sit prima narrationis virtus.

Secunda est perspicuitas, qua scilicet omnia clarè explicentur, et vitentur quae mediocriter etiam eruditis multum negotii facessant, uti sunt abstrusae fabulae, quibus non erit ubilibet utendum; item frequens ad historias veteres, aut parum famosas, allusio, crebrae parentheses, hyperbata, et quaecumque omnibus expeditam claritatem confusionis nubibus obtenebrare possint, quamquam alioqui poema sobria eruditione exornari debeat.

Tertia narrationis virtus est probabilitas, vi cuius, ea quae referuntur verosimilia appareant, etsi vera non sint, quandoquidem poetae solum interest non tam quae facta sunt, quam quae fieri potuerunt, ut potuerunt vel debuerunt, exponere.

Cuarta a Cicerone adjuncta virtus est suavitas. Hanc, autem, esse dicit quae habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpositos animorum motus, colloquia personarum, dolores, iracundias, luctus, metus, laetitia, cupiditates, &<sup>a</sup> Ornanda, praeterea, et varianda erit narratio, episodiis, futurorum rerum seminibus, praecclarissimis sententiis, alisque rhetoricae exquisitis flori-

bus, ipsâque rerum ac verborum variâ et multiformi vicissitudine; sed videndum ne prima mediis, ultima primis dissideant.

Jam poematis fabula unica sit, ita ut, licet plures acciones contineat, omnes illæ, velut ejusdem corporis membra, uni reddantur formæ: memineritis monstrum horatianum initio Artis depositum. Sit, item, integra, nempè constet principio, medio et fine. Sit quoque docens, ita ut per alegoriam quâ concepta est, rectam humanæ vitæ normam ostendat. Postremò, notandum est quod; quamvis epica narratio per se haud exigat perorationem aut epilogum, in illis, tamen, epopoeiis panegyricis, quibus vel divina mysteria, vel Deiparæ, vel sancti alicujus laudes celebrantur, adhibenda erit peroratio, ad audientium exhortationem; vel claudatur poema apostrophe, vel aliis oratori cõmunibus mediis. Si quando vobis elucubranda erit epica panegyris, vel ad celebritatem alicujus ex nostræ Societatis sanctis, vel ad gratulationem in adventu Præpositi Provincialis, vel illius inauguratione, vel ad honorandos, laudandosque in provinciali congregationi conscriptos Patres, servatis quæ dedimus præceptis, ut ea ad praxim facilius et feliciter referatis, semel et iterum et multoties attentè legite Claudianum.

Superest ut minutiora circa ipsos versus præcepta indigitemus.

Primum: vel omnes, vel aliqui saltem, hexametri pedes aliquâ cesurâ invicem conectantur, vel triemimeri, vel pentemimeri, vel heptemimeri: alioquin, frigidus et exsibilandus erit, et mul-



tò magis, si singuli pedes ex singulis constant verbis, ut si dicas:

*Vestro, Musa, Phoebos, dulces pangite versus;  
Illico mulcent aures dulcia carmina Divum.  
Aurea scribis carmina, Juli, maxime vatum,  
Romæ moenia terruit impiger Annibal armis.*

Secundum: non incipiat a monosyllaba quæ statim per synalepham vel ecthlypsim absorbeatur,

Tertium: non finiatur hexameter versus in monosyllaba, nisi majestatem, vel gravitatem, vel tarditatem, stuporem aut languorem exprimendi ergo, ut illa virgiliana:

*Si fortè virum quem.—Præruptus aquæ mons.  
—Procumbit humi bos.*

Quartum: sensus in unoquoque versu non terminetur nisi rarò; sed potius ad secundum saltem, plerumque ad tertium, ad quartum, imò ad quintum, ad sextum vel septimum, descendat.

Quintum: descensus ille fiat per mensuram et commata, modo in primo carminis verbo, modo in secundo, modo in tertio verbo et aliis deinceps, alternâ semper varietate positâ.

Sextum: omnino exulent particulæ redundantes, quæ nostro idiomate *ripios* vocamus,

## § 2.

### De elegiaca poesi.

Elegia est: *poema quod alternantibus solis hexametris et pentametris versibus conficitur.* Illius author, ab aliquibus, Polymnestor colophonius,

ab aliis Theocles Naxius, fuisse traditur. Materia circa quam versatur elegia, si hujus nominis ethymon respiciatur, debet esse res tristes, ut Ovidius insinuat in morte Tibulli:

*Flebilis indignos, elegia, solve capillos;  
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.*

Et Terentianus Poeta:

*Hos elegos dixere, solet quod clausula talis  
Tristibus, ut tradunt, aptior esse modis.*

Nihilominus, ut Horatius innuit in Arte, progressu temporis immensum propè crevit elegiæ argumentum; eam, etenim, utuntur ad querelas, expostulationes, preces, amores, vota, laudes, gratulationes, admonitiones, convitia, leges, epicedia, epigrammata, hymnos, epistolas, imo res etiam bellicas, quas elegiis complexus est Tyrthæus, poeta græcus, unde Horatius:

*Thirthæusque mares animos in martia bella  
Versibus exacuit.*

Elegiæ partes solent esse *propositio* et *amplificatio*, nonnunquam *invocatio*. *Propositio* (quæ quidem haud est in quibusvis elegiis adhibenda) potest esse vel simplex, ut Epopoeiæ, vel ornata: simplex, ut illa Ovidii:

*Tempora cum causis Latium digesta per annum,  
Lapsaque sub terras, orta que signa canam.*



Propositio eatenus ornata dicitur, quatenus fit per aliquam figuram, exempli gratiâ, per apostrophem, ut supra Ovid: *Flebiles* etc. Adde:

*Ille tui vates operis, tua fama Tibullus,  
Ardet in extructo corpus inane rogo.*

Vel per cohortationem, ut idem in morte Psittaci:

*Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,  
Occidit. Exequias ite frequenter, aves.*

Aut per prosopopoeiam, vel per invocationem numinis, musæ, nymphæ, etc. Verum, etsi elegia non incipiat per strictam propositionem, vel invocationem, quas non esse necessarias diximus, frequentius, tamen, initium ducat per aliquam illustrem figuram, vel sententiam, vel alium modum suavem, ingeniosum, venustum, ut observare est in poetis elegiographis, verbi gratiâ, per conquestionem:

*Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es?  
Per te inmaturum mortis adimus iter.*

(Propertius.)

Per interrogationem, ut:

*Cuja sit hæc lacrymis insignis epistola quæris?  
Inque tuas a qua venerit illa manu?  
Est calamo, Bernarde, tui perarata Nibaldi;  
Est tibi de patria, clam patre, missa domo.*

(Biderm.)

Altera elegiæ pars, nempe amplificatio, adeo necessaria est, ut sine illa vix aliqua efformetur quæ elegiæ nomine digna sit. Itaque, amplificatione identidem incumbendum: huic suppetias ferent similitudines, inductiones, adjuncta et circumstantiæ; causæ, effectus, opposita, argumenta a majore ad minus, eruditiones opportunæ, transitus ab argumento proprio ad rem potius ab illo non remotam quam cum illo conjunctam, qui transitus dicitur *episodium*, seu *digressio*, cui viam aperiet aliqua fabula, vel historia, laus virtutis, aut vitii reprehensio, rei alicujus descriptio, aut narratio, epiphonema aut sententiâ.

Stylus elegiæ sit perspicuus, lenis, ingenuus, tener, patheticus, hoc est, affectibus refertus, et figuris, ad delectandum idoneis, adeo plenus, ut una statim alteri succedat. Mirificè stylum ornant frequentes commiserationes, conquæstiones, exclamationes, apostrophes, sententiæ, tum breves, tum acutæ, apotecmata, fabulæ, quam brevissimè et clarissimè attactæ, antiquorum morum et nationum ritus; ut illa apud Tibullum:

*Num te carminibus, num te pallentibus herbis  
Devovit, tacito tempore noctis, anus?  
Cantus vicinis fruges traducit ab agris.  
Cantus et iratæ detinet anguis iter,  
Cantus et e curru lunam deducere tentat;  
Et faceret, si non æra repulsa sonent.*

Quamquam in hoc genere Tibullo longè præstat Propertius, et utrique Ovidius, in quo prodigiosa est poeticæ eruditionis suppelex. Hunc

vobis expedit nocturna versare manu, versare diurna, ut elegias non fastidiendas scribatis; sed et observate quæ precedenti capite, § 4, adnotavimus.

Præterea, ut elegiæ carmen leniter ac delitiosè fluat, vitentur in eo, 1<sup>o</sup>; si usquam alibi crebræ synalephæ, ecthlipsis, pedum ac syllabarum asperitas, et tarda pedum colocatio. Hinc vitiosi sunt pentametri quorum prius hemistichium caret pentemimeri, seu nullâ cæsura cum posteriori continuatur, ut ille Catulli:

*Troia virum et virtutum omnium acerba cinis;*  
et iste Diom.

*Hæc quoque nostræ sententia mentis erat.*

Sed et vitiosi sunt qui sic monosyllabo terminantur, ut nec alterum monosyllabum præcedat, nec disyllabum, qualis est ille Catulli:

*Aut facere: hæc a te dictaque factaque sunt.*

Curandum est ut hexametri ut plurimum incipiant a pede dactylo, et quod sententia perfecta sistat in uno disticho, et quâ fieri potest, periodus non excurrat ad subsequens, quin membrum saltem terminet præcedens. Per rarò Sesquialterum adeat oratio, ut aput Catullum:

*Scilicet in vario ne solum lumine cæli,  
Aut Ariadneis aurea temporibus  
Fixa corona foret.*

Dictio terminans pentametrum sit verbum, aut nomen substantivum, aut pronomen derivativum; nam apud illustres authores rarò invenitur in fine participium presens. Jucundissimi sunt pentametri qui clauduntur dictione dissyllaba; et ita debere claudi suadent ac persuadent ferè omnes elegiographi, suum principem Ovidium secuti, quibus proinde plus deferendum est quam per paucis aliis, qui pinguibus, crasisque auribus demulcendis, penthasyllabam aut tetrasyllabam, et, quod insulsius est, trisyllabam, in fine, dictione dissyllabæ præferendam censent, quia nimium illis (deditâ ut videtur operâ) sua disticha frequenter terminat Propertius, aliquoties Tibullus, pluries quam hic Catullus, quos, contra jus et fas, Nasonem longè autecellere volunt. Hujus iniquissimæ sententiæ, ne dicam stultitiæ, assectas Midæ auribus meritò puniret Apollo.

§ 3.

De lyrica poesi.

Eam ita definit Pater Forti: *Poesis quæ versu rithmico et harmonico rem aliquam amplificat, et cantu sonoque affectus varios imitatur.* Varia sortitur nomina. Dicitur *lyrica*, quia ad lyram canebatur; *mellica*, ob cantûs suavitatem et melodiam; *hymnica*, a nobiliore ipsius parte, nempe a laudatione:

Ipsius materia potest esse quidquid brevi et harmonico poemate concludi valet.

Artificium perficitur per commodum exordium et amplificationem. Propositio adhibetur quandoque, sed maximè ornata. Invocatio, si fiat, erit Apollinis, Musæ, Iyræ, aut alterius instrumenti musici, vel personæ aut rei cujus laudes ode prosequitur. Verum, si vera fatear, hoc genus poematis nullis ferè alligatur regulis, cum fiat potius naturæ impetu, quam arte, et tam initium quam medium et finis poetico furore regantur. Lyrici carminis stylus sit floridus, sublimis, suavis, dulcis, elegans, sonorus, ingeniosus, hilariis, amænus, pulcherrimis, metaphoris et allegoris refertus. Uno verbo cuncta complectar: carmen lyricum tale sit ut Orphei et Amphionis cantûs portenta æmuletur, ad sylvas, ad flumina, ad saxa ipsa commovenda.

Jam ad varias lyrici carminis species descendamus. Præcipuæ sunt: 1<sup>a</sup> *scholium*, quod est carmina a conviviis inter epulas recitandum: 2<sup>a</sup> *epinision*, quo victorum laudes canebantur: 3<sup>a</sup> *epiponpeuticon*, quod idem est ac triumphale carmen: 4<sup>a</sup> *hymnus*, et propriè sonat carmen in Deum, sed ad Deiparam et divos extenditur; 5<sup>a</sup> *Poëan*, id est liberator: propriè versus erat in Apollinis laudem; 6<sup>a</sup> *Dityrambus*, ita dictus a Bacho, bis nato, in cui honorem canebatur; 7<sup>a</sup> *Hyporchema* carmen a saltantibus, inter choreas, cani solitum: 8<sup>a</sup> *carmen sæculare*, quod in sæculi finem, puellæ virgines puerique pretextati, in gratiarum actionem, diis canebant; 9<sup>a</sup> *epodos*, id est, certus versus numerus, quos, post antisthrophen, in eodem loco inmorantes, dicebant, terræ stabilitatem imitati.

§ 4.

De metris lyricis singulatim.

Quoniam ex antlato scribendi labore, nullatenus officient, quin potius proficient plurimum, ne memoria effluant, quæ de pedibus et de versuum nominibus didicistis, idcirco ea hic attexa metris postmodum prodendis præmitere, operæ pretium existimavi. Itaque § modo inscriptum in triplicem partem accipite.

PARS PRIMA

De versuum nominibus, et pedum speciebus, in communi.

Pes metricus est *dictio polysyllaba certo syllabarum numero, qualitate et ordine constituta.*

PEDES DISSYLLABI.

<i>Pirrhichius</i>	bb	bene.
<i>Choreus</i> seu <i>trocheus</i>	lb	astra.
<i>Jambus</i>	bl	micant.
<i>Spondeus</i>	ll	nobis.

PEDES TRISSYLLABI.

<i>Tribrachys</i> , seu <i>trocheus</i> , seu <i>brachissyllabus</i>	bbb	facere.
<i>Molossus</i> , <i>hyppæus</i> , seu <i>trilongus</i> , seu <i>heroicus</i>	lll	gaudentes.
<i>Dactillus</i> , digito trinodi similis	lbb	numina.
<i>Anapestus</i> <i>antidactylus</i>	bbll	pereant.
<i>Amphibrachys</i> , idem utrinque brevis, seu <i>lesvius</i>	blb	poema.

<i>Amphimacrus</i> , utrinque longus, seu <i>creticus</i>	lbl	pontifex.
<i>Bacchius</i> , Baccho sacer	blf	dolores.
<i>Antibacchius</i> , seu <i>rhodius</i>	llb	dixere.
<b>PEDES TETRASYLLABI.</b>		
<i>Proceleusmaticus</i> , seu <i>dipyr- rrhichius</i>	bbbb	avidior.
<i>Dispondeus</i>	llll	oratores.
<i>Dichoreus</i>	lblb	commodare.
<i>Dijambus</i>	blbl	paternitas.
<i>Choriambus</i>	lbb.	nobilitas.
<i>Antipastus</i> , seu <i>jambicho- rens</i>	bllb	amavisse.
<i>Jonicus</i> , a majore, seu <i>spon- deus pyrrhichius</i>	llbb	cantabere.
<i>Jonicus</i> , a minore, seu <i>py- rrhichispondeus</i>	bbll	pueriles.
<i>Pæon primus</i> , <i>chorepyrrhi- chius</i>	lbbb	aspicere.
<i>Pæon secundus</i> , <i>jambipy- rrhichius</i>	blbb	docebere.
<i>Pæon tertius</i> , <i>pyrrhichoreus</i>	bbfb	moriemur.
<i>Pæon quartus</i> , <i>pyrrhijambus</i>	bbbl	calamitas.
<i>Epitritus primus</i> , <i>jambis- pondeus</i>	blll	reluctantes.
<i>Epitritus secundus</i> , <i>chores- pondeus</i>	lbell	contulissent.
<i>Epitritus tertius</i> , <i>spondi- jambus</i>	llbl	clamaverant.
<i>Epitritus quartus</i> , <i>sponda- choreus</i>	lllb	conclamare.

Pedes pentasyllabi inusitati sunt, præter *dochimum*, ut *perhorreseerent*.

Versus est oratio certo pedum genere numero et ordine constans. Dicitur *versus*, quia, eo absoluto, *versurâ* factâ, redditur ad initium sequentis orationis, quin continuetur pronuntiatio vel scriptura per eundem tramitem. Contra, *prosa* dicitur quasi *porsus* seu ulterius tendens. Dicitur etiam *carmen*, a *canendo*, licet hoc nomine non unus versus, sed integrum poemation sæpè apelletur. *Metrum* dicitur idem ac *mensura*; et quia adstricti sunt versus certo numero pedum et modulis quantitatis syllabicæ, dicuntur *numeri* et *modi*. Tandem, *prosa* dicitur *oratio pedestris*, quia soluta a frænis; ut versus *oratio equestris*, quia fræno quantitatis syllabicæ coercetur.

Differentiæ simplicium carminum sumuntur ab aûthoribus seu inventoribus, vel a materia et argumento cui ex primaria institutione deputata sunt, vel ab instrumentis musicis, vel a pedibus in versu prædominantibus, vel a numero syllabarum, pedum aut carminum, ejusdem, vel diversæ speciei, vel ab excessu et defectu syllabarum.

Ab aûthoribus: sic *alcaicum* ab Alceo; *anacreonticum* ab Anacreonte; *aristophanicum* ab Aristophane; *gliconicum* a Glycone; *hipponacticum* ab Hipponacte; *phalæcium* a Phalæco vel Phalæuco; *pherecraticum* a Pherecrate; *saphicum* a Sapho poetrix, denominatum est. *Dythyrambicum* a Bacho, qui *Dythyrambus* dictus est, idem bis egressus ex utero.

A materia: sic *heroicum* dictum est ab heroum rebus gestis laudandis; *elegiacum* a lamentando;



*adonium* ab Adonis laudibus; *satyricum* a pro-  
cacitate satyrorum, quam imitantur qui, liberâ  
acrimoniâ, versu hominum vitia notant; *comicum*  
quod comoediæ, *tragicum* quod tragoediæ ido-  
neum sit.

Ab instrumentis: sic *lyricum*, quia hymnis ca-  
nendis adhiberi consuevit.

A pedibus prædominantibus: *dactylicum* a  
dactylis, *anapæsticum* ab anapæsticis, *jambicum*  
a jambis, *choriambicum* a choriambis, *trochai-  
cum* a trocheis, dictum est.

A numero syllabarum: sic aliud *pentasyllabum*,  
aut *hendecasyllabum* dicitur, quæ, tamen, sola  
differentia non sufficit distinguendis ultimo ver-  
sibus.

A numero pedum: sic aliud *hexametrum*, id est,  
sex pedum, seu *senarius* versus; aliud *pentame-  
trum*, id est, quinque pedum; aliud *dimetrum*,  
loquendo de simplicibus pedibus; nam, si ex duo-  
bus pedibus fiat velut passus quidam, seu *dipo-  
dia*, tum versus *dimeter* dicitur, qui constat  
quaternis pedibus; *trimeter* qui senis; *tetrameter*  
qui octonis pedibus.

A numero versuum cujusque speciei: sic car-  
mina quædam dicuntur *monosticha*, unico versu  
contenta; quædam *tetrasticha*, quæ quatuor; *he-  
xasticha*, quæ sex; *octasticha*, quæ octo; decas-  
ticha, quæ decem; *dodecasticha*, quæ duodecim  
versibus continentur.

A numero specierum quæ permiscuntur: sic  
*monocolon* dicitur, id est, unius membri, seu unica  
specie versuum constant; *dicolon*, quod duabus  
speciebus, puta hexametro et pentametro; *trico-*

*Ion*, quod tribus speciebus; *tetracolon*, quod quatuor speciebus versuum constat, ut in diversis odis horatianis cernere est.

A numero versuum post quem reversio fit ad similem ordinem numerumque carminum, seu ad eamdem stropham: sic *monostrophos* ode dicitur, quando est monocolos, quia singulæ strophæ ejusdem speciei carmine continentur; *distrophos*, quando post bina diversæ speciei carmina, redditur ad bina altera ejusdem speciei et eodem ordine; *tristrophos*, autem, cum post ternos versus; *tetraastrophos*, cum post quaternos versus, reversio fit ad similem stropham. Quare, cum tribus sapphicus subjicitur adonium, vocatur ode *dicolos tetraastrophos*, quia duo genera carminum habet, licet versuum numerus sit quaternarius; si tria genera carminum, sed quatuor versus stropham constituent, dicitur *tricolos tetraastrophos*; si quatuor genera totidemque versus, erit *tetracolos tetraastrophos*, et sic deinceps. Demum, si post aliquas strophas adhibeantur aliæ diversæ speciei, strophæ, vel ejusdem speciei, sententiæ tamen diversæ, ordine inverso, illa ode dicitur *antistrophos*.—*Ode*, seu *oda* (ut hoc quoque notem), latine sonat quasi *cantilena*.

A syllabarum excessu vel defectu: sic carmen *acatalecticum* dicitur cui nihil abundat; *hypercatalecticum*, seu *hypermetrum*, quod unâ syllabâ abundat; *catalecticum*, seu *catalecticum*, cui deest una syllaba; *brachycatalecticum* dicitur, si desit integer pes.

PARS SECUNDA.

De versibus dactylicis, hendecasyllabis, anapæsticis, jambicis et trochaicis.

Diximus versus nomen accipere a pedibus prædominantibus. Sic in præsentia, sub nomine *dactylicorum*, venit imprimis *hexameter*, qui, ut scitis, constat sex pedibus, quorum quintus dactylus est, et aliquando etiam spondeus; reliqui vel dactyli, vel spondei. Venit, secundo, *pentameter*, qui constat quaternis pedibus et duobus semipedibus monosyllabicis: duo primi pedes sunt dactyli vel spondei, cum una, insuper, syllaba longa, quæ *cæsura* vel *comma*, vel *semipes* dicitur; reliqui duo sunt dactyli, cum una, insuper, syllaba longa. Sed, si aliter metiri placet, tunc duo primi pedes erunt dactyli vel spondei, tertius semper spondeus, quartus et quintus anapæsti, ut sequentes pentametri, quibus, solitariè positis, comprehendit Ausonius septem Thaletis Milesii dicta:

*Turpe quid ausurus te, sine teste, time.*  
*Vita perit; mortis gloria non moritur.*  
*Quod factururus eris, dicere sustuleris.*  
*Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.*  
*Quum verè objurgas, sic inimicè juvas.*  
*Quum falsò laudas, sic et amicè noees.*  
*Nil nimium satis est, ne sit et hoc nimium.*

Tertiò, venit carmen *adonium* seu *adonicum*, quod constat dactylo et spondeo. Hoc post ter-

nos quoque sapphicos solet subjici; solitariè, tamen, potest adhiberi, ut præstitit Boetius:

*Nubibus atris  
Condita, nullum  
Fundere possunt  
Sydera lumen.*

Quarto, *dactylicum himeniaticum*, quod constat duobus dactylis, sic:

*Creditur aurei  
Cantus Appollinis  
Insuperabili  
Abdita pectoris  
Vincere carmini*

Quinto, *dactylum archilochium*, quod est posterius semipentametrum, ut:

*Pulvis et umbra sumus.*

Sexto, *glyconicum*, quod habet primo loco spondeum, deinde duos dactylos; aliquando, autem, primo loco choreum, rarò jambicum. Habes, exemplum glyconici in Seneca, Thyestes:

*Illi mors gravis incubat  
Qui, notus nimis omnibus,  
Ignotus moritur sibi;*

et apud Horatium, lib. I, ode 15:

*Ignis illiacas domos;*

et apud Boetium, lib. II, metro 8:

*O felix hominum genus,  
Si vestros animos amor  
Quo cælum regitur regat;*

qui, eodem libro, metro 3, alternis sapphycis glyconium sternens, cecinerat sic:

*Cum polo Phoebus, roseis quadrigis,  
Lucem spargere cæperit,  
Pallet albentes hebetata vultus  
Flammis stella prementibus.*

Sed Horatius utitur, alternatim, glyconiis ante asclepiadeos, ut lib. 1, ode 3; lib 3, ode 24; lib 4, ode 3, vel illo utitur in quarto stropharum loco, ut lib. 1, ode 5 et 6.

Septimo, *pherecratium*, a Pherecrate inventum, tres habet pedes, quorum primum spondeum, secundum dactylum, tertium spondeum. Primo, tamen, loco admittit, sed rarò, choreum, jambicum vel anapæstum.—Exemplum pherecratii:

*Spernunt fulmina lauri:  
Spernit verbera pontus.*

Horatius pherecratium binis asclepiadeis sæpè subjicit, ut libro 1º, ode 5ª; at uni asclepiadeo Boetius, sic:

*Si quantas rapidis fluctibus incitas  
Pontus versat arenas,  
Aut quod stelliferis edita noctibus*

*Cælo sydera fulgent;  
Tantas fundat opes, nec retrahat manum;  
Pleno copiâ cornu,  
Humanum miseris haud ideo genus  
Cesset flere querelas.*

Octavo, *alcmanium catalecticum*, ab Alcmane poeta inventum, constat syllabâ una longâ duobus dactylis, et spondeo; verbi gratiâ:

*Jam fundite pectora palmis.*

Noveno, *alcmanium acatalecticum* constat quatuor pedibus integris, quorum priores duo dactyli aut spondei; tertius perpetuó dactylus, et quartus spondeus, ut apud Horatium:

*Aut Ephesum bimarise Corinthi,*

*Sic tristes affatus amicos,*

Decimo, *alcmanium trimetrum hypercatalecticum* constat tribus dactylis et una syllaba, quo utitur Prudentius, himno 3 Cathemerinon:

*Te quoque, luce sub occiduâ,  
Sumere cum monet hora cibum,  
Nostra, Deus, canit harmonia.*

Undecimo, *dactylicum phaliscum tetrametrum* constat tribus dactylis et jambicis, sic:

*Talia docta Phalisca legimus.*

Duodecimo, *alcaicum dactylicum*, ab Alceo poeta inventum, constat quatuor pedibus et semipede, seu cæsura longâ, in medio, a qua dicitur *meshumpercatalectum*, quorum primus spondeus vel jambus est, secundus jambus, dehinc syllaba longa; reliqui pedes sunt duo dactyli, ut:

*Princeps corusco sydere pulchrior,  
Eques Gelonis imperiosior.*

Decimo tertio, *alcaicum acatalecticum dactylo trochaicum*, constat duobus dactylis, et duobus trocheis, sic:

*Fulmina constiterint acuto.*

Decimo quarto, *dactylicum asclepiadeum tetrametrum meshypercatalectum* constant quatuor pedibus et syllaba longa in medio, ita ut primus pes sit spondeus et raro dactylus, secundus dactylus, dehinc syllaba longa, seu cæsura, reliqui dactyli. Verum, si asclepiadeum sub choriambicorum genere collocare velis, tunc primus pes erit spondeus, secundus et tertius choriambici, quartus pirrhichius.—Exemplum sit:

*Mecænas atavis edite regibus.*

Decimo quinto *asclepiadeum catalecticum*, quod non differt a præcedenti, nisi defectu unius syllabæ, adeo ut videatur terminari dactylo et spondeo, ut si dicas:

*Mecænas atavis inclite sceptris.*

Et hæc de quimdecim metris dactylicis.

Hendecasyllaborum tria sum genera, non parum inter se simillia.

Primum est *sapphicum*, quod primo loco habet choreum, secundo spondeum, tertio dactylum, quarto et quinto choreum. In odis atque hymnis solet terno cuique sapphico inseri adonium, velut clausula strophæ, sic:

*Pindarum quisquis studet emulari,  
Jule, ccratis, ope Dedaleâ,  
Nititur pennis, vitreo daturus  
Nomina ponto.*

(Horat., ode 2, lib. 4.)

Secundo, tamen, loco admittit tum choreum, tum dactylum, ut, exemplis poetriæ Sapphus et Catulli et Senecæ, confirmat Pater Ricciolius, qui bene addit versum sapphicum elegantiozem esse, si post secundum pedem cæsura sit, ac duriusculum, si eâ caret, ut illi Catulli:

*Otium, Catulle, sibi molestum est.*

*Seu Sacas sagittiferosque Parthos.*

Secundum metrum hendecasyllabum est *phalæcium*, quod habet quinque pedes, nempè, spondeum, dactylum et tres choreos. En exemplum:

*Hic est quem legis, ille quem requiris,  
Toto notus in orbe Martialis,  
Argutis epigramaton libellis.*

(Lib. 1.)



Tertium est *hipponactium jambicum trimetrum catalecticum*, et constat quinque pedibus jambicis et unâ, insuper, syllaba in fine; sed primo ac tertio loco recipit spondeum.

Exemplum sit illud tempore Claudii imperatoris editum:

*Ternos vetusti congios falerni,  
Uno die, conviitis peractis,  
Hausit potentum Romuli nepotum  
Regenerator audax arbiterque regum.  
Ex inde plebs Quiritium vocavit,  
Non CLAUDIUM TIBERIUM NERONEM,  
Sed CALDIUM BIBERIUM MERONEM.*

Tria etiam sunt *anapæsticorum* genera.

Primum *anapæsticum archilochium*. Constat quatuor pedibus, sive anapæsti sint, sive illis compares, nempe, aut spondei, aut dactyli, aut proceleusmatici, adeo ut aliquando nullos habeat anapæstos. Utitur illis Boetius, et Seneca in tragædis. Censetur hoc carmen elegantius, si careat cæsuris. Seneca illi interserit aliquando adonium, quod Pater Ricciolius imitatus est, sic:

*Cingite lauros tempora, vates,  
Quos perpetuis Pimplæ lymphis,  
Aureus ultro, rutilusque comas  
Ditat Apollo.*

Secundum est *anapæsticum partheniacum*, quod est catalecticum et differt ab archiloquio solo defectu unius syllaba in fine, sic:

*Caput artubus inclyta Virgo.*

*Felix nimium prior ætas.*

Tertium est *anapæsticum anacreonticum*, quod constat anapæstico, jambo et bacchio, ut:

*Age cuncta nuptiali,  
Redimita verè tellus.*

Ut versus jambici et trochaici metrum seu mensuram melius capiatis, iterum animadvertendum est græcos, metro uno, seu mensurâ, *dipodiam*, id est, binos pedes complecti; quare versus quos latini *binarios jambicos*, id est, duorum pedum, græci *monometros*, et quos latini *quaternarios*, illi *dumetros*, et *senarios*, *trimetros*, et *octonarios*, *tetrametros*, vocant.

Ex iis quædam dicuntur *acatalecta*, id est, talia ut illis nihil desit, nil superfluat; quædam *catalecta*, quibus desit syllaba; quædam *brachicatalecta*, in quibus desideratur pes integer; quædam, denique, *hipercatalecta*, in quibus syllaba vel pes redundet.

Horum omnium prima lex, ut nec versus jambicus pedem trocheum, nec trochaicum jambum admittat.

Secunda lex: Ultimus pes jambici debet esse jambus, rarò tribrachys, et trochaici trochaicus. Catalectici ultimus pes censetur qui proximè antecedit ultimam syllabam pedis deficientis.

Tertia lex: Jambus versus in quovis loco recipit pedem jambum, et trochaicus trocheum, et illi sunt optimi jambici qui solis jambis constant.

Quarta lex: Jambicus apud tragicos, præter jambum, admittit tribrachrium, in locis paribus; in imparibus, verò, præter hos, admittit spondeum, vel dactylum, vel anapæsticum, interdum proceleusmaticum. Apud lyricos et hymnographos, in locis paribus, præter jambum, rarò admittit tribrachium. In imparibus admittit spondeum, et rarò pedes trisyllabos.

Quinta lex: Trochaicum, e contrariò, in tragœdis, præter trocheum, admittit, in imparibus, etiam tribrachium. In locis, verò, paribus, præter hos, admittit spondeum vel dactylum, vel anapæstum, nec respuit proceleusmaticum. Comœdia, verò, hos omnes pedes, ad sedes etiam impares, recipit. Apud lyricos, præsertim hymnographos, in locis imparibus solus est trochaicus; in locis, verò, paribus ponitur spondeus et pedes trisyllabi.

Sexta lex: In versu trochaico catalectico dimetro, seu quaternario, ultima sedes, ad ponendum pedem trochaicum, est tertia; in tetrametro, seu octonario, sedes ultima est septima, quia istæ sedes, seu pedes, præcedunt ultimam syllabam pedis deficientis.

Exempla jambicorum, monometri, dimetri, tetrametri.

*Monometrum acatalecticum* constat duobus jambicis, hoc modo:

*Ama Deum;*  
*Cole patrem;*  
*Cave malum;*  
*Tene bonum.*

*Jambicum aristophanicum monometrum hypercatalecticum* constat duobus jambicis et syllabâ in fine. Recipit, tamen, primo loco spondeum sic:

*Fluit silenti,  
Vales per imas,  
Gradu Methaurus.*

*Jambicum euripidium dimetrum brachicatalecticum* constat tribus jambicis, quamvis recipiat primo loco et tertio spondeum, sic:

*Ave maris stella,  
Dei Mater alma.*

*Jambicum anacreonticum dimetrum catalecticum* constat tribus jambicis et una syllaba, in fine, ita licet, ut primo loco admittat spondeum vel anapæsticum. Jucundissimum est. En exemplum, per strophas pentastrophas distributum:

*Urantur ante sacras  
Sabæa tura mensas,  
Novemque dum sororum  
Choros agit, canorum  
Apollo carmen edat.*

*Testudinemque pollex  
Pulset peritus aptam:  
Peritus et loquendi,  
Peritus et canendi.  
Apollo carmen edat.*

*Jambicum boetianum dimetrum catalecticum* constat anapæstico, duobus jambicis et syllaba in fine, hâc formulâ:

*Habet omnis hoc voluptas,  
Stimulis agit furenteis,  
Apiumque par volantum,  
Ubi grata mella fudit,  
Fugit et nimis tenaci  
Ferit icta corda morsu.*

( Boet. lib. 7, met. 8. )

*Jambicum archilochium dimetrum acatalecticum* constant quatuor pedibus, quorum pares, secundus et quartus, debent esse jambi, aut tribrachi; primus, verò, et tertius possunt esse vel jambi, vel spondei, et rarissimè anapæstici aut tribrachi. Usitatissimum est hoc carmen in odis et hymnis, a Sancto Ambrosio, Boetio, aut Prudentio compositis. Utitur Sancta Ecclesia illo, per strophas tretrastrophas distributo, verbi gratiâ:

*Vexilla Regis prodeunt,  
Fulget crucis mysterium,  
Quâ vita mortem pertulit  
Et morte vitam protulit.*

*Jambicum archilochium dimetrum hipercatalecticum*, quo sæpè utitur Horatius, tertio stropharum loco, constat quatuor pedibus et unâ, in fine, syllabâ, verbi gratiâ:

*Sylvæ laborantes geluque.*

*Jambicum trimetrum brachicatalecticum* quinque habet pedes. Vix est in usu. Sit, tamen, exemplum:

*Premi potest bonus, non opprimi.*

*Jambicum trimetrum acatalecticum*, seu *senarium jambicum*, constat sex jambis, ut:

*Beatus ille qui procul negotiis.  
Forumque vitat et superba civium. . . .*

Sed tragici, ad celeritatem versûs compescendam, ponunt, quidem, pedem jambicum, et nonnunquam tribrachum, in locis paribus; sed in locis imparibus adhibent tribrachum, spondeum, et aliquando anapæstum et dactylum, raròque proceleusmaticum. Horum omnium exempla sunt:

*Pavidumque leporem et advenam laqueo gruæm.*  
(Horat.)

*Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.*  
(Seneca.)

*Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*  
(Idem.)

*Alium silere quod voles, primus sile.*  
(Idem.)

*Nam sera non est ad bonos mores via.*  
(Idem.)

*Quem pœnitet peccasse penè est innocens.*

(Idem.)

*Fortuna opes auferre, non animum, potest.*

(Id.)

*Iniqua nunquam regna perpetua manent.*

(Id.)

*Sed tu, malorum machinatrix facinorum.*

(Id.)

*Virile robur, nulla famæ memoria.*

(Id.)

Comici, autem, licentiossimis jambicis utuntur, nam, collocato, ultimâ sede sexta, pede jambo, aut tribrachio, in quinque præcedentibus admittunt jambum tribrachium, spondeum, anapæsticum, dactylum, creticum, proceleusmaticum, amphibrachicum et pæonem.

*Jambicum tetrametrum brachycatalecticum* habet septem pedes, quorum pares debent esse jambi vel tribrachi; reliqui jambi, vel spondei: En exemplum:

*Nulli sciunt hoc mane quid vesper vehat sibi.*

*Jambicum tetrametrum catalecticum* addit præcedenti unam syllabam, in fine, verbi gratiâ:

*Amandus est tibi Deus, tuus denique frater.*

*Jambicum tetrametrum acatalecticum* habet pedes octo, sic:

*Amandus est tibi Deus, tuus denique proximus.*

Sunt etiam *jambici trimetri acatalectici*, qui dicuntur *scanzones*, id est, claudicantes, sive *choliambici*, id est, claudijambi, quia, cum in cæteris consentiant cum jambico, quinto loco habent jambum, et sexto spondeum, unde videntur claudicare, sic:

*¿ Cur in theatro, Cato severe, venisti?*

Est, item, carmen *galliambicum*, ita dictum a Gallis sacerdotibus. Sex pedes habet: anapæstum, duos jambos, duos dactylos et anapæstum. Admittit, tamen, primo loco spondeum, creticum, aut proceleusmaticum, et in secundo loco anapæstum, jambum, tribrachum aut dactylum; quarto jambum. Exemplum est in Catullo, de Berecynthia.

*Super alta vectus Atys celeri rate maria,  
Phrigium nemus, citato cupidè pede tetigit,  
Adiitque opaca sylvis, redimita loca deæ,  
Stimulatus ubi furenti rabie vagus animi,  
Devolvitur illa acuto sibi pondera silice.*

*Trochaicum* carmen hymnis, tragoediis et cœmediis idoneum, nunquam admittit pedem jambum, ut jam diximus: sed quovis in loco admittit trocheum, ita ut ex solis trocheis consta-



re possit, Admittit etiam alios pedes, nempe, in imparibus locis, tribrachium; in locis, verò, paribus, spondeum, dactylum et anapæstum, et non raró proceleusmaticum. Videtis jam in trochaico sedes proprias trochei esse impares, et, e contrario, in jambico, ubi sedes propriæ jambi sunt pares. Sedes ultima trochaici tribuitur trochei. Græci pariter propter dipodiam metuntur trochaica, dantes duos pedes monometrum, quatuor dimetrum, sex trimetrum, octo tetrametrum.

His præmissis, progrediamur a simplicibus ad composita.

*Trochaicum monometrum acatalecticum* constat duobus choreis, sic:

*Pelle curas;  
Sperne terram;  
Vive letus;  
Cerne cælum.*

*Trochaicum monometrum hypercatalecticum* habet duos choreos et syllabam in fine, sic:

*Vita jam fugit,  
Instat et mihi;  
Parca nec potest  
Fata non sequi.*

*Trochaicum ithyphalicum* est dimetrum brachichum, et habet tres choreos, sic:

*Virgo singularis,  
Inter omnes mitis.*

*Trochaicum eurypidium* est dimetrum catalecticum. Constat tribus choreis et syllaba in fine, sic:

*Mella dantur coelitus.*

*Trochaicum almanium* est dimetrum acatalecticum, et habet quatuor choreos. Aliquando primo loco recipit pyrrhichium, verbi gratiâ:

*Age, convocata pubes.*

*Trochaicum bacchilidium dimetrum hippercatalecticum* non difert a præcedenti nisi adiectione unius syllabæ, in fine, sic:

*Floribus corona nectitur.*

*Versibus poëna pangitur.*

*Trochaicum trimetrum brachicum* constat quinque choreis. Vix est in usu; sed esto exemplum:

*Parce vitio, parce somno, amice.*

*Catalecticum* præcedenti unam, in fine, syllabam addit, sic:

*Musa dictat, auris audit carmina.*

*Trochaicum trimetrum acatalecticum* habet sex pedes, sic:

*Quandoquunque nomen ibit inter astra.*

*Trocaicum hippercatalecticum* addit præcedenti unam syllabam, in fine, sic:

*Inter astra nomen ibit; ergo gaudeas.*

*Trocaicum tetrametrum brachicum* habet septem pedes, sic:

*Inter astra fulget anguis; ergo cælum terra est.*

*Trocaicum archilochium catalecticum* constat septem pedibus et unâ syllabâ, in fine; quare componitur ex trocaicis alcmanio et eurypidio, quæ possunt dividi sic:

*Pange, lingua, gloriosi  
Corporis mysterium;*

vel jungi sic:

*Pange, lingua, gloriosi laurcam certaminis,  
Et super crucis trophæo dic triumphum nobile,  
Qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.*

*Trocaicum hipponacteum tetrametrum acatalecticum* octo habet pedes, sic:

*Appetente vere primo, cum tener virescit annus.  
Vinitorque falce tonsas vitibus maritat ulmos.*

PARS TERTIA.

De reliquis carminum speciebus et de pedibus comparibus.

*Cholliambicum callimachium* constat spondeo, tribus choriambicis et pyrrhichio, ut apud Horatium:

*Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi  
Finem dii dederint, Leuconoe, nec babylonios. . . .*

(Lib. I, ode 2.)

*Choriambicum tetrametrum* constat epitrito secundo, duobus choriambis et bacchio:

*Lydia, dic, per omnes te deos oro,  
Sybarim cur properes amando.*

(Idem, lib I. ode 8.)

*Trochaicum stechilochium*, seu *Diomedii angelicum*, habet primo loco choreum aut spondeum, secundo dactylum, tertio creticum, quarto choreum, quinto dactylum, sexto choreum, sic:

*O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo.*

*Jonicum minus* duplex est; alterum, *trimetrum acatalecticum*, constat tribus jonicis a minore, aut in fine, et pæone tertio; alterum, *tetrametrum acatalecticum*, constat quatuor jonicis a minore. Utroque utitur Horatius.

*Miserarum est neque amori dare ludum.*

*Simul unctos tiberinis humeros lavit in undis.*

(Lib. 3, ode 12.)

*Dactylicum boetianum* habet, primo loco, dactylum, secundo dactylum aut spondeum, et adhuc in fine syllabam; sic Boetius:

*Omne hominum genus in terris;  
Unus enim rerum Pater est.*

Qui interserit phærekratium alternatim.

*Choriambicum phalecium* constat tribus choriambis, et amphimacro, loco licet choriambi, recipit dijambum. Exemplum:

*Jane pater, Jane tuens, Jane biceps, biformis,  
Cui reserata mugiunt aurca claustra Mundi.*

Computatis septem his versuum speciebus, cum iis quæ seundâ parte hujus § exposuimus, habentur jam circiter sexaginta. Eas omnes, eruditioni veræ inhians, ex Patris Josephi Riccioli Proso-diâ excerpti, et nonnihil eas concernens ex Patribus Forti et Alvarez.

Jam circa pedes compares animadvertendum est spondeos compares esse dactylibus, amphibrachiis et proceleusmaticis; choreos, item, jambis et tribrachiis; demum, creticos bacchiis et antibacchiis, quia computatis, scilicet, longis syllabis, quæ duorum, et trevibus, quæ unius sunt temporis, pedes illi qui alii aliis compares sunt, inveniuntur totidem temporum; atque idcirco spondei, verbi gratiâ, compares pedes *dissolutiones* etiam appellantur.

### De poesi bucolica.

*Bucolica poesis*, quæ a *bubulcis* primum nomen accepit, est ea quæ agricolis et similibus personis aptata est, et sic explicatur: *Imitatio actionum rusticarum, carmine expressa*. Hujusmodi poesis appellari solet *ecloga*, id est, breve selectumque poema, seu colloquium, a quodam, scilicet, verbo græco, quod latini interpretantur *eligo*. Ea selecta carmina vocantur etiam *idyllia*, ob suam, nimirum, speciem et venustatem. Hexametris comunius fit *ecloga*, quæ et personas, ita et materiam, seu argumentum, sumit ab agris, sylvis et similibus, ut quæ in ejusmodi locis perhumiles illorum incolas aguntur, carmine representetur, nimirum, illorum vota, gratulationes, laudationes, gaudia, pompas, cantus, jocos, obtrectiones, altercationes, curas, amores, infortunia, labores et alia.

Hæc representatio fit, vel interpositis aliquibus personis interloquentibus, et tunc *ecloga* vocatur *dramatica*, vel unicâ personâ, et tunc *ecloga* erit *monoprosopos*. Frequentius habet *ecloga amæbeum* carmen, ita dictum a verbo græco quod significat *alternis respondere*, cum, scilicet, personæ, æquali ferè numero versuum, sibi mutuo respondent, ita ut responsio, aut majus, aut contrarium aliquit dicat. Tale est illud Menalcham inter et Damætam, Palæmone judice, certamen, et illud Patris Jacobi Van (*Eclog. 2.*)

Toti eclogæ præfingitur vel nomen, vel titulus, qui argumenti sumam proponat.

Eclogæ artificium duas habet partes, scilicet, *exordium et narrationem*. Exordium ducitur vel ab invocatione, vel a propositione, vel a circumstantiis loci, temporis, &<sup>a</sup>, vel ex abrupto, per pastorum colloquia, aut interrogationem unius ad alium, vel ita ut poeta se ipsum ad canendum cohortetur, vel alio simili modo. Narratio construatur ferè simplex et perspicua: plerumque solet esse allegorica. Stylus eclogæ, tunc in verborum, tum in sententiarum figuris, in similitudinibus, comparationibus, affectibus et aliis ornamentis, adaptetur rebus ipsis quæ tractantur, et personarum intercanentium captum non exsuperet.

Laudatur versus eclogæ, si primum et quartum pes integrâ voce terminentur, ut:

*Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.*

Cætera hujusmodi poemæ concernentia, poetarum qui eclogas scripserunt lectio docebit; videlicet, Teocriti, Virgilii, Calpurnii, Sannazari, Bargæ, Joannis Pontani, Aurelii Nemetiani, Jacobi, et multorum aliorum qui recentiores sunt, tunc nostri, tum externi.

## § 6.

Nonnihil de comœdia, tragœdia, satyra et sylva.

Comœdia est *poesis dramatica, quæ, ob docendam vitæ consuetudinem, civiles ac privatas ac-*

*tioncs, eum lepore ac facetiis, imitatur.* Tragoedia est *poesis gravissima, illustrium virorum, per agentes personas, exprimens calamitates.* Utraque habet partes, quæ dicuntur *ex qualitate et ex quantitate.*

Ex qualitate sunt sex: *fabula, mores, sententia, dictio, apparatus, modulatio.* — *Fabula* est res cogitata et inventa, ingeniosèque disposita. *Mores* sunt qui actoribus affinguntur, de quibus Horatius:

*Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,  
Mobilibusque, &<sup>a</sup>*

(Ars poetica.)

*Sententiis* aspergenda comœdia et tragoedia. *Dictio* est stylus, in illa familiaris, in hac sublimis et gravissimus. *Apparatus* scenam, actorumque habitum et vestes complectitur. *Modulatio*, seu *melepeja*, chorum complectitur, et saltationem, concentum, machinas, embolia, lusus.

Partes ex quantitate numerantur quinque, quibus earum magnitudo absolvitur. *Prologus* vel *prophasis, protasis, epitasis, cathasthasis, catastrophe.* — *Prologus* est prænaratio quædam prævia ad rem agendam. *Protasis* est prima pars fabulæ, in qua summa rei proponitur, exitus, tamen, occultus manet. *Epitasis* est protasis incrementum et involutio et perturbatio rerum omnium quæ in protasi continentur. *Cathasthasis* est illa pars fabulæ in qua, impleto jam totius negotii nodo, major cernitur perturbatio quam in epitasi. *Catastrophe* est nodi totius perfecta



solutio, et rei exagitatae conversio in finem minimè expectatum, qui in comoedia est hilaris, in tragœdia tristis.

Utraque habet quinque *actus*, seu partes fabulae. Actus quisque in *scenas* divitur. Est, autem, *scena* pars actus in qua duæ pluresve personæ colloquuntur.

Demum, in utraque adhibetur versus jambicus et trochaicus.

Exempla petite, tragœdiæ, Senecæ; comoediæ, autem, Terentio et aliis.

*Satyræ* est *poema urbanum, jocosum, salsum, ad reprehendendos mores corruptos*. Stylus satyræ est humilis et familiari similis; sed continet crebras, acutas, laconicas, graves, de moribus sententias; item jocos, facetias, scommata, æquivoca, proverbia, adagia, apothecmata, allusiones, tropos, et figuras quasdam ridiculas. Legite Juvenalem, satyricorum principem, Horatium et Persium.

*Sylvæ* dicitur *poema subito calore excussum*. Stylum amat festivum et lepidum, non multum elaboratum, sed ita ut videatur sylva, carmen videlicet ferè extemporaneum. Sunt varia sylvarum genera; primum, *carmen nuptiale*; secundum, *genetliacum, geniale, seu natalitium*, quod in die natali alicujus canitur; tertium, *eucharisticum*, quod sonat gratiarum actio; quarto, *soteria*, seu carmina missa, tanquam munus, ob receptam amici salutem, præsertim ob reducem et servatum civem, exercitum, ducem; quintum, *epibaterium*, quod etiam *carmen versionis* dicitur, et est præcedenti affine; sextum, *carmen votivum*, quo Deo

vel homini, ad aliquid impetrandum, preces fundimus; septimum, *propenticon*, quod *carmen demissivum* dicitur, quo amici discessum comitamur, eique prosperum iter auguramur; octavum, *epicedium*, carmen continens defuncti laudem cum miseratione: duplex est; alterum quod recitabatur corpore nondum terræ mandato, et hoc propriè *nænia* dicitur; alterum quod quotannis, ad extincti tumulum, canebatur; novenum, *paræneticum* seu *prosepticum*, quo aliquem ad virtutem, vel illustre aliquod facinus, excitamus; decimum, *diræ*, carmen quo numen in hostium perniciem invocamus; undecimum, *panegyricum*, græcè *panegyris*, significat *concionem*, seu populi frequentiam, in qua, ab oratore, vel poeta, aliquid recitabatur; nunc autem, *panegyrim* dicimus orationem vel carmen, exornativi generis, quo aliqua persona laudatur.

## § 7.

### De epigrammata.

*Epigramma*, græcè, latinè *superinscriptio*, brevissima, in statuis, imaginibus, tropheis, clypheis, ædificiis et similibus monumentis incisa, olim vocabatur; nunc, autem, quidquid, de re qualibet, acutè et breviter, versu dicitur, *epigrammatis* dictione continetur. Est, igitur, epigramma, prout poeticæ facultati subest, *poema breve, rem, personam aut factum indicans, vel aliud ex alio deducens*.

Ex hac definitione colligitur epigrammatis di-

visio, in *simplex* et *compositum*. Simplex solam continet indicationem, ut:

*Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc Parthenope: cecini pasqua, rura, duces.*

(Virg.)

Compositum, ex propositis, aliud, sive majus, sive minus, sive æquale, aut diversum, vel etiam contrarium, deducit. Harum deductionum exempla dabit Martialis.

Secunda divisio est in *dialogicum*, quod plures loquentes inducit, et *simplex*, quod non. Tertia in *epicum*, *tragicum*, *comicum*. Quarta in *sacrum*, *morale* et *profanum*, Quinta in *mel*, *fel*, *acutum* et *salem*.

Hæc divisiones ostendunt amplissimam esse epigrammatis materiam, cujus artificium, si compositum est, duas habet partes: *protasim*, quam logici *præmissas* dicerent, et *apodosim*, quam *conclusionem* seu *consequentiam* appellarent. Verum quid in artificio describendo tempus incassum terimus, cum totum epigrammatis artificium pendeat ab ingenio, et quidem eximio? Si ingenium inest, ipsum, per se, quidquid ad hoc difficillimum poema conficiendum requiritur docebit. Difficillimum esse negarit nemo qui tres illas dotes perspicuas et epigrammati pernecessarias ritè pensitaverit: *suavitatem*, nimirum, *brevitatem* et *argutiam*, hispanicè *concepto*, quod illius est velut anima et vita. Nil, igitur, mirandum est, omnibus his numeris absoluta et perfecta epigrammata paucissima reperiri. Nihilo-

secius, aliqua, ad exemplum, scribenda sunt. Et, ut simul aliquid præcipiamus, observetis amabo, poetas, ad epigrammatis clausulam suum cuspidem et acumen exserere, ex iisdem locis, tum, insitis, tum remotis, e quibus rhetores argumentorum suorum arma confingunt; verbi gratiâ, ex definitione, seu naturâ rei:

DE AMORE.

*Humor an ignis amor? Vitreos si consulis orbis,  
Humor amor. Pectus consulis? ignis amor.  
Ut cor mergit aquis, sic urit pectora flammis:  
Icaron inde biceps, hinc Phaetonta facit.*

IN JOANNEM VITELIUM, SEU VITULUM, JAM  
MORITURUM.

*Jupiter omnipotens, VITULI miserere JOANNIS;  
Quem mors festinans non sinit esse BOVEM.*

IN ERASMUM.

*Quæritur unde tibi sit nomen Erasmus? Eras mus:  
Si sum mus ego, te judice, summus ero.*

(Owen.)

IN NOSTRADAMUM QUEMDAM MENDACISSIMUM.

*Nostra damus, cum falsa damus, quia fallere nos-  
trum est;  
Et cum falsa damus, nihil nisi Nostradamus.*

IN DESPAUTERII TUMULO.

*Grammaticam scivit, multos docuitque per annos;  
Declinare, tamen, non potuit TUMULUM.*

IN CHRISTI CRUCEM.

*Arbore funercâ laceros Christus explicat artus,  
Et latet in lateris vulnere Divus amor,  
; Ut Christi, mens si qua, pio librata volatu,  
Incidat in plagas, sentiat esse plagas!*

DE VITANDA OCCASIONE.

*¿ Qui facies, facies Veneris cum veneris ante?  
Non sedeas, sed eas, ne pcreas per eas.*

IN FLACCUM, ORATOREM IMPERITUM.

*¿ Quis neget orantem populum te, Flacce, movere?  
Orantem quoniam concio tota fugit.*

(Martialis.)

AD DIVAM CLARAM, SANCTUM EUCHARISTIÆ  
SACRAMENTUM IN HIEROTECHEA PORTANTEM.

*Clara, tibi CLARÆ nomen non miror inesse,  
Cum solem manibus gesseris ipsa tuis.*

MORS MARS.

*Omega nostrorum Mors est, Mars alpha, malorum:  
In bello distant omega et alpha parum.*

(Owen.)

IN MEDIO VIRTUS.

*In medio Christus latronum quando pependit,  
Aut nunquam, aut virtus tunc fuit in medio.*

(Owen.)

HONORIS ETHIMOLOGIA.

*Divitias et opes HON lingua hæbreca vocavit;  
Gallica gens aurum OR; indeque venit HONOR.*

(Idem.)

MUNERA MISERIS DATA.

*NUMERA ne MUNERA, miseris quæcumque dedisti:  
In cælis numerat, munerat illa Deus.*

(Idem.)

PATIENS INVERSUS ET PATIENTIA DIVISA.

*Esse volo patiens; si nolo, cogor; AT IN SPE,  
Hac ego fio potens ENTIA cuncta PATI.*

(Idem.)

AMORIS ARMA.

*Nudus amor, ¿cur offensivis utitur armis,  
Non defensivis? — Omnia vincit amor.*

(Idem.)

DE PROSA ET ADSTRACTA ORATIONE.

*¿Cur vincit velocior est quam sermo solutus?  
Iste pedes sermo non habet; alter habet.*

(Idem.)

DE SCIPIONE ROMANO.

*Pro Patria Patribusque mori Populoque Romano,  
Corde animoque pio, Scipio suscipio.*

(Idem.)

IN ILLUD HORATII:

*Pulvis et umbra sumus.*

*Desperet cælum natus de pulvere nemo;  
Desperet cælum nemo, quod umbra sumus.  
Nostra caro est pulvis, sed eodem ex pulvere corpus  
Fit Domini. Mens est umbra, sed umbra Dei.*

(Idem.)

RECTA RATIO.

*Tempore quod nostro ratio sit recta dolendum est:  
Esset gaudendum, si foret illa regens.  
Solus Dis deus est; dites dii; numina nummi:  
Cum plauso loquitur Pluto, tacetque Plato.*

(Idem.)

S. T. NOTA SILENTII.

*Quid sibi romanum S. T. vult? SILETO, TACETO:  
S jube ut sileas; T jube ut taceas.*

(Idem.)

PATRIA EST UBICUMQUE EST BENE.

*Illa mihi patria est, ubi pascor, non ubi nascor:  
Illa ubi sum notus, non ubi natus eram.  
Illa mihi patria est, mihi quæ patrimonia præbet:  
Hic ubicumque habeo quod satis est, habito.*

(Idem.)

DE MULIERE APTA.

*Apta Duci non est uxor, non aptaque Regi,  
Quæ duci non est apta, nec apta regi.*

(Idem.)

DECLINATIO DEI.

*Oh quanta est veterum blasphemia grammatico-  
Qui declinandum nos docuere Deum!                      runt,*

(Idem.)

IN FESTUM MENDACEM.

*Omnis homo est mendax, puto, Feste, fateberis; ergo  
Dicito: mentiris, cui tibi dicet: homo est.*

(Idem.)

VITA IN SANGUINE.

*Cunctorum posuit Moses in sanguine vitam:  
Legifer, in Christi sanguine pono meam.*

(Idem.)

IN PROFUSUM SCRIPTOREM.

*Scriptsisti æternos, si fas mihi dicere, libros:  
Fine carent libri principioque tui.*

(Idem.)

ÆNIGMA.

*Dic mihi ; quæ in cælis extat vox integra, cujus  
In terris tantum syllaba prima patet? (1)*

---

(1) Felicitas.



DE SENECA PHILSOPHO.

*Poenæ tuæ dici possunt epigrammata gnomæ,  
Præterquam numeris, quod tua dicta carent.*

(Owen.)

Ab enumeratione partium, totum argutè infer-  
tur, ut præstat Owen, in quamdam mulierem  
ornatam:

*Pluma super caput est, et sub pede suber: utrumque,  
A capite ad calcem, te probat esse levem.*

A genere ab specie; item ex uno ad plura; ex  
pluribus ad unum.

IN LIBRUM HOMERI AB ASSELLO CONSUMPTUM.

*Carminis Illiaci libros consumpsit asellus.  
Hoc fatum Trojæ est: aut equus aut asinus.*

AD ÆLIAM, VETULAM EDULENTAM.

*Si memini, fuerant tibi quatuor, Ælia, dentes.  
Expuit una duos tussis, et una duos.  
Jam secura potest totis tussire diebus:  
Nil istic quod agat tertia tussis habet.*

(Mart.)

DE QUINQUE LEGITIMIS CAUSIS BIBENDI.

*Si malè non memini, causæ sunt quinque bibendi:*

*Hospitis adventus, præsens sitis, atque futura,  
Et vini bonitas, et. . . quælibet altera causa.*  
(Idem.)

A similitudine, ad quam reducuntur methaphora, allegoria, comparatio, parietates, &c.

#### DE TRIBUS HOMINIS HOSTIBUS.

*Unum grammaticum, logicumque et rhetora vita:  
Hos modo vitaris, cætera tuta tibi.  
; Quis rhetor? Mundus falax. Logicus? Cacodemon.  
Semper declinans est caro grammaticus.*  
(P. Bern. Bahutio.)

#### DE CLEPSYDRA.

*Temporis hic index tenuis, qui pulvere manat,  
Jamdudum græcis clepsydra fluxit aquis.  
Humor humus factus, sic nos et nostra figurat:  
Dum vita est, lacrymæ; dum morimur, cineres.*  
(Anton. Veneto.)

#### DE AMORE.

*Libertas, carcer; pax, pugna; dolenda voluptas;  
Spes metuens; mel, fel; seria, ludus, amor.*  
(Owen.)

#### DE CÆLO ET TERRA PARADOXON.

*Mobile, non errat cælum; stat terra, sed errat  
Funditus, in varias undique secta vias.*

*Errantum pedibus calcabor humillima tellus;  
Vomere proscindam, dumque ero terra, terar.*

Ab *adjunctis*, seu circumstantiis, quæ in noto versiculo continentur:

